BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
15 B
94

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ORBIS VNIVERSI VOTORVM PRO DEFINITIONE PIÆ ET VERÆ SENTENTIÆ DE IMMACVLATA CONCEPTIONE DEIPARÆ

LIBER III.

MARIA MATER DEI ET VIRGO SINE MACVLA ORIGINALI CONCEPTA

AGNOSCITVR

A SACRO ORDINE RR. PP. PRÆDICATORVM:
ET EX EODEM ORDINE
D. THOMAS DE AQVINO THEOLOGORVM PRINCEPS
CVM SVA SCHOLA
IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS ASSERTOR
OSTENDITVR.

AVTHORE
IOANNE LVDOVICO SCHÖNLEBEN, CARNIOLO,
SS. Theologiæ Doctore, Cathedralis Eccesiæ Labaci Decano, &c.

CLAGENFVRTI,
Typis Georgij Kramer, Provinciæ Carinthiæ Typographi. Anno 1659.

Digitized by Google

S.Thomas Aquinas tanquam fidelis ſervus, & prudens, non pertinax; non proprio ſenſui, aut prudentiæ innitens; & nullâ de ſe Scientiæ ſuæ opinione ſuperbus: Sapienter atque humiliter omnem ſuam verbo, vel ſcripto doctrinam, ad Eccleſiæ fidei normam, fideli devotione reduxit. *Ioannes Papa XXII. in Canonizatione D. Thomæ.*

Digitized by Google

SYNOPSIS
LIBRI TERTII CAPITVM, & Paragraphorum.

PARS PRIOR
COMPLECTENS TRIA PRIMA CAPITA.

CAPVT I.
Immaculatæ Conceptionis Myſterio ſtabiliendo varia argumenta ab Ordine RR. PP. Prædicatorum.

§. I. Immacnlatæ Conceptionis veritas ſtabilitur ex decretis Ordinis PP. Prædicatorum.
§. II. Ex divinis Officiis PP. Prædicatorum.
§. III. Ex celebratione ſolemni feſti Conceptionis apud PP. Prædicatores.
§. IV. Ex Confraternitatibus & locis ſacris apud PP. Prædicatores.
§. V. Ex multitudine PP. Prædicatorum, qui eam in Vniverſitatibus propugnant, & docent.
§. VI. Ex obſervationibus circa dicta præcedentibus paragraphis.

CAPVT II.

Immaculatæ Conceptionis myſterium ſtabilitur ex effectibus doctrinæ oppoſitæ, quam aliqui PP. Prædicatores ſequuntur.

§. I. Ex Scandalis activis oppoſitæ Sententiæ.
§. II. Ex elucidatione eventus relati à Surio.
§. III. Ex nonnullis paſſionatis propoſitionibus, quas auſi ſunt imprimere aliqui oppoſitæ Sententiæ Sectatores.
§. IV. Ex Zelo Hiſpanorum pro eius titulo.

CAPVT III.

Immaculatæ Conceptionis myſterium ſtabilitur ex Doctrina S. Thomæ Doctoris Angelici.

§. I. Certa quædam præmittuntur de Operibus Doctoris Angelici.
§. II. Elucidatio terminorum, qui in materia de Conceptione Virginis uſurpari ſolent.
§. III. Aliqua prænotanda, ut ſtatus Controverſiæ de Conceptione B. Virginis, qui fuit tempore D. Thomæ, melius intelligatur.
§. IV. Status Controverſiæ de Conceptione B. Virginis, qui fuit à temporibus D. Bernardi, uſq; ad tempora D. Thomæ, proponitur.
§. V. Quæſtiones, quas D. Thomas movit de Conceptione B. Virginis.
§. VI. An D. Thomas ſenſerit B. Virginem Conceptam cum macula Originali, vel ſine macula? aliorum opiniones.
§. VII. Prævia quædam aſſerta ad inveſtigandum veram D. Thomæ ſententiam.
§. VIII. D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe originali conceptam. Ex Tomo VI. Operum. Locus 1. 2. 3.
§. XIX. Ex Tomo eodem lib. 2. ſent. Locus 4.
§. X. Ex Tomo VII. Operum in 3. ſent. Locus 5. 6. 7.
§. XI. Ex Tomo VIII. De malo. Locus 8. 9. 10. 11.
§. XII. Ex Tomo X. Operum. Locus 12. 13. 14. 15.
§. XIII. Ex Tomo XI. Operum. Locus 16. 17. 18.
§. XIV. Ex Tomo XII. Operum. Locus 19. 20. 21.
§. XV. Ex eodem Tomo. Locus 22. 23. 24. 25.
§. XVI. Ex eodem Tomo. Locus 26. 27. 28. 29.

§. XXII.

Digitized by Google

§. XVII. Ex eodem Tomo. Locus 30. 31. 32. 33. 34.
§. XVIII. Ex eodem Tomo. Locus 35. & 36.
§. XIX. Ex eodem Tomo. Locus 37. 38. 39. 40.
§. XX. Ex eodem Tomo. Locus 41. 42. 43. 44.
§. XXI. Ex eodem Tomo. Locus 45.
§. XXII. Ex eodem Tomo. Locus 46. 47. 48.
§. XXIII. Ex eodem Tomo. Locus 49. & 50.
§. XXIV. Ex eodem Tomo. Locus 51. 52. 53. 54.
§. XXV. Ex eodem Tomo XIII. Locus 55. 56. 57.
§. XXVI. Ex Tomo XVI. Locus 58. 59. 60. 61. 62. 63.
§. XXVII. Ex Tomo XVII. Locus 64. 65. 66. 67.
§. XXVIII. Ex eodem Tomo. Locus 68. 69. 70. uſq; ad 76. incluſivè.
§. XXIX. Ex eodem Tomo. Locus 77. uſq; ad 83. incluſivè.
§. XXX. Ex eodem Tomo. Locus 84. uſq; ad 92. incluſivè.
§. XXXI. Aliquot alia loca D. Thomæ pro Immaculata DEIparæ Conceptione. Locus 93. uſq; ad 100.
§. XXXII. Collatio Concluſionum D. Thomæ pro Immaculata Conceptione DEIparæ.
§. XXXIII. Explicatur Locus præcipuus, in quo S. Thomas contrarius fuiſſe putatur Immaculatæ Conceptioni.
§. XXXIV. Explicatur uberius idem locus D. Thomæ cum aliis annexis argumentis, & reſponſionibus eiuſdem articuli.
§. XXXV. Explicantur alia loca ex D. Thoma, in quibus videtur piæ Sententiæ contrarius eſſe.

Digitized by Google

FACVLTAS

OFFICII EPISCOPALIS.

HVnc Orbis Vniverſi Votorum Pro definitione piæ, & veræ Sententiæ de *Immaculata Conceptione DEIparæ Librum Tertium, in quo MARIA Mater DEI, & Virgo ſine macula Originali Concepta, agnoſcitur à Sacro Ordine RR. PP. Prædicatorum: & ex eodem Ordine D. Thomas de Aquino Theologorum Princeps, cum ſua Schola Immaculatæ Conceptionis Aſſertor oſtenditur,* quem Reverendiſſimus Dominus, D. Ioannes Ludovicus Schönleben, SS. Theologiæ Doctor, & Labaci Cathedralis Eccleſiæ ad S. Nicolaum Decanus; Illuſtriſſimorum Statuum Inclyti Ducatûs Carnioliæ Sacellanus, &c. ê monumentis primorum Ordinis Dominicani Sanctorum & Doctorum eruit: & cautè contrariam opinionem in ſuis terminis relinquens, piam Sententiam Doctoris Angelici Doctrinæ conformem probavit, à Sapientiſſimis Doctoribus prius reviſum, & approbatum, authoritate Epiſcopalis Officii, ex præſcripto SS. Concilium, Typis mandari concedimus. In quorum fidem &c. Labaci ex Palatio Epiſcopali, die 4. Auguſti, 1659.

L. S.

PHILIPPVS TERPIN, PROTONOT. Apoſtol: pro Excellentiſſimo, & Reverendiſsimo Principe Ottone Friderico ex Comitibus de Buchaim, DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Labacenſi, &c. Vicarius Generalis.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

DE IMMACVLATA CONCEPTIONE DEIPARÆ

LIBER III.

PROOEMIVM.

SCholaſticum de Im̃aculata Conceptione DEIparæ litigium vulgò ſacro Prædicatorum Ordini attribuitur; verùm qui penitiùs inſpexerit venerãdę antiquitais arcana, altiùs oportet huius diſceptationis rimetur originem, & RR. PP. Prædicatores abſolvat ab hac culpa. Conſtat enim ex Epiſtolis Divi Bernardi, & Petri Cellenſis, de quibus ſuo loco diſſerui, centum minimum annis ante inchoatum Prædicatorium Ordinem diſputatum fuiſſe: *An B. Virgo concepta ſit abſque originali peccato*, cùm de feſtivitate eius Conceptionis controverteretur. Quòd verò hic Ordo oppoſitam piæ ſententiam acriùs tutari aggreſſus ſit poſt B. Alberti M. & D. Thomæ Angelici Doctoris tempora; id fortaſsè multis etiam doctrinâ conſpicuis viris hactenùs pro comperto habitum, cùm tamen ſecùs ſe rem habere facili negotio demonſtrari poſſit. Fateor me quoq; longo tempore in ea fuiſſe cogitatione, aut potiùs errore; quòd opinio, quæ aſſerit Deiparam cum peccato originali conceptam, ſit totius Ordinis Prædicatorij, ſit opinio Thomiſtarum, ſit opinio S. Thomæ: ubi tamen plura de hac materia pervolui.

D. Bern. Epiſt. 174.

B volui.

volui volumina, & penſiculatiùs expendi, adeundo fontes, ſancti Doctoris Scripta; ſequacium lucubrationes; debui, convictus argumentorum multitudine, errorem meum agnoſcere, & concludere, quòd neque S. Thomas Doctor Angelicus, neque eius ſchola, quam vocamus Thomiſtarum, neque ipſe etiam Ordo PP. Prædicatorum contrarius ſit piæ opinioni, ſed potiùs egregiè adſtruxerit, & adhuc adſtruat Immaculatam Virginis Conceptionem paſſivam. Nam licet aliqui zelo quopiam indiſcreto moti, aut malæ ſuppoſitioni innixi, magnis conatibus contrariam opinionem propugnare aggreſſi ſint, ij tamen, & pauci, & fere de plebe fuerunt, uti Bandellus, Spina, Barlota &c. quorum Bandellus, licet Ordinis fuerit Generalis; in ſcriptis tamen ſe prodidit, & minùs eo munere dignum, & locutuleium potiùs, quàm virum ſapientem. E diverſo autem plurimi ſunt ſapientiſſimi viri eiuſdem familiæ, Profeſſores Theologi, Magiſtri Generales Ordinis, Regum, & Principum Confeſſarij, Beati, & Sancti, qui fortiter pro immunitate Virginis ab originali decertárunt: ut proindè meritò aſſeverare poſſim, Ordinem Prædicatorum inter primos Mariæ ſine macula conceptæ addictos Ordines numerandum eſſe. Cur autem minùs pia opinio, quæ aſſerit Deiparam in originali conceptam, vocetur opinio Thomiſtarum, opinio Patrum Prædicatorum, inde arbitror provenire, quòd nonnulli Prædicatores ex non benè intellecto, vel certè non ſatis expenſo Divo Thoma; non combinatis varijs eius aſſertionibus, eam doctrinam velut ab Angelico Doctore traditam propugnaverint, donec Sedes Apoſtolica Silentium illis indiceret. Et vix reperies alteriùs Inſtituti Doctorem, aut certè rarum, qui idem ſenſerit, ac docuerit. Vnde, licet non omnes Prædicatores, ei opinioni adhæſerint; quia tamen ferè ſoli adhæſerunt, vocari cœpit opinio Prædicatorum, & Thomiſtarum. Ex quo intelligitur, qua de cauſa in Decreto paulò poſt adducendo dicatur *Ordo Prædicatorum ſuſtinuiſſe opinionem; quod B. Virgo fuit concepta in originali.* Non enim ſenſus eſt, quòd totus Ordo; ſed quòd ferè ſolus Ordo comparativè ad cœteros Orthodoxos Doctores, dictam opinionem ſuſtinuerit: cum quo ſtat, multos Prædicatores, ſed nullum ſanctitate illuſtrem; multos, ſed minùs celebres alijs oppoſitum docentibus; multos ſolitariè ſpectatos, ſed reſpectivè ad Aſſertores Immaculatæ Conceptionis eiuſdem Ordinis verè paucos adhæſiſſe opinioni minùs piæ. Id quod ego hoc libello aliquatenùs expono:

expono: & quidem Capite primo per argumenta promiſcua ex Decretis Officijs, Martyrologijs, Confraternitatibus, &c. Ordinis Prædicatorum.

Capita 2. Per effectus doctrinæ quorundam PP. Prædicatorum contra nos ſentientium.

Capite 3. Inveſtigo Divi Thomæ Aquinatis mentem circa Deiparæ Conceptionem, & latè oſtendo illum aſſeruiſſe, quod Virgo ſit abſque macula Originali Concepta.

Capite 4. Refero ſanctos Ordinis Prædicatorij, qui piæ ſententiæ ſubſcripſerunt ante & poſt D. Thomam.

Capite 5. Enumero ſummos Pontifices, Cardinales, & Epiſcopos ex eodem Ordine aſſumptos, qui eandem piam ſententiam amplexi ſunt.

Capite 6. Adduco Magiſtros Sacri Apoſtolici Palatij ex eodem Ordine.

Capite 7. Magiſtros Generales dicti Ordinis.

Capite 8. Denique reliquos eiuſdem Sacræ Familiæ Theologos, & viros Illuſtres, omnes Aſſertores Immaculatæ Conceptionis.

Pauci quidem ſunt iſti, ſi conferantur cum toto Ordinis corpore, ſed non ideò ſoli hi ex toto Ordine, quia ſolos refero. Hi ſoli hactenus ad meam pervenerunt notitiam; plures reperient alij: & ego moraliter certus ſum, quod potior pars Doctorum huius Ordinis, piam Sententiam ſi non verbo aut ſcripto, ſaltem animo & corde amplectatur, de quo ſit Benedictus Deus, & Deipara Immaculatè Concepta.

Addam inſuper Capite Nono Conſiderationes nonnullas ex dictis hoc libro.

CAPUT I.

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS myſterio ſtabiliendo varia argumenta ab Ordine PP. Prædicatorum.

ARgumenta, quæ hoc capite attingam deſumuntur â Decretis Ordinis Prædicatorum, ab officijs divinis eiuſdem Ordinis, â celebratione feſti, â Confraternitatibus, & locis ſacris apud Prædicatores Immaculatæ Conceptioni ſacratis, â Votis denique, & Iuramentis Academicis per eoſdem Prædicatores emitti ſolitis.

§. I.

Immaculatæ Conceptionis veritas ſtabilitur ex Decretis Ordinis PP. Prædicatorum.

1. ORdiamur â totius Ordis placitis, deſcenſuri deinde ad ſingulos eiuſdem Ordinis Aſſertores Immaculatæ Conceptionis. Et primò quidem ſe offert Manuale Ordinis PP. Prædicatorum, vel Chronicon breviuſculum impreſſum Hiſpali Anno 1524. quod ſe vidiſſe teſtatur VVaddingus, alij etiam eius meminerunt. Huic libro inſertum eſt Decretum Capituli Provincialis factum in Bœtica, præſidente R. P. Alberto de Las Caſas Vicario Generali, in hæc planè verba:

VVaddingus Legat. ſect. 2. orat. 3. §. 1. M. Ant. Palaus in Def. Dom. c. ult.

Quia Ordo Prædicatorum ſolitus eſt ſemper ſanctorum doctrinæ adhærere; ſuſtinuit hucuſque opinionem, quod B. Virgo fuit concepta in originali: ſed iam de hoc non eſt curandum, cùm ſit materia nullius

P. Bieda c. 10 Serran. l. 2. c. 30. Catherin. ad Conc. Trid. p. 2. c. 1. Nieremb. in Except. Conc. Trid.

Digitized by Google

nullius utilitatis, & valdè ſcandaloſa; præſertim cum tota ferè Eccleſia (cuius uſus, & auctoritas ſecundùm B. Thomam 2.2 q. 10. art. 12. & 3. p. q. 68. a. 10. prævalet dictis Hieronymi, & cuiuſcunque alterius Doctoris) iam aſſerat, quod fuit præſervata. Nec mirum, quia tempore Auguſtini tanta quæſtio erat de Aſſumptione Beatiſſimæ Virginis; undè dicit: Homo non fingat mendaciter apertum, quod Deus manere voluit occultum; & tamen iam univerſaliter tenet Eccleſia, quòd ſit aſſumpta in corpore & anima, & oppoſitum nullus auderet iam opinari. Duo hic animadverto argumenta ſtabiliendo myſterio, quæ fuerunt motiva condendi Decreti. Primum eſt authoritas totius ferè Eccleſiæ, quæ jam aſſerit B. Virginem fuiſſe præſervatam; hæc verò authoritas prævalet dictis Hieronymi &c. Secundum B. Thomam, cuius hæc ſunt formalia: *Maximam habet authoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper eſt in omnibus æmulanda: quia & ipſa doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia authoritatem habet: undè magis ſtandum eſt authoritati Eccleſiæ, quàm authoritati vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cuiuſcunque Doctoris.* Egregiè! non igitur numeret Caietanus Patres, ubi videt Eccleſiæ ferè totius conſenſum: non confingat authoritates, ubi vera in oppoſitum ſuppetunt teſtimonia. Alterùm eſt, quod minùs piam ſententiam hic Ordo aſſerat, & fateatur ſcandaloſam; & conſequenter prohibeat ſuis, nè illam doceant; ſiquidem in Conſtitutionibus huius eiuſdem Ordinis ſanctè præcipitur diſt. 2. cap. 12. *Caveant Fratres noſtri, nè ponendo in cœlum os ſuum, in ſuis prædicationibus Religioſos & Clericos ſcandalizent.* Si igitur ordo ſententiam illam, quæ *Mariam* ſubdit originali peccato, agnoſcit ſcandaloſam; prohibet, nè fratres illam doceant, cùm doceri non poſſit ſine ſcandalo.

D. Thom. 22. q. 10. art. 12.

II. Anno 1602. ſub graviſſimo Patre Generali Hier: Xavierre poſteà S. Rom. Eccleſiæ Cardinali idem hic Ordo ſtatutum fecit, cuius hæc eſt ſubſtantia: *Strictè prohibemus, nè quis audeat in publico prædicare, vel docere; quod Beata Virgo fuit concepta in peccato originali, propter ſcandalum fidelium.* Sanctè hoc ſancitum, utinam ubique ſanctè ſervatum. *Lugendum certè*, ait VVadingus, *ipſius Mariæ Filios (quo nomine glorioſè & iuſtè gloriantur) tam malè de MARIA audire.* Sed pauci ſunt, qui tam malè audiunt.

Luc. VVading. Leg. ſ. 2. Tr. 2. orat. 1. n. 6. Serran. l. 2. c. 30. Hormachea in Cant. Prolog. 3. VVading cit. ſect. 2. n. 3. ſ. 1.

III. Anno 1653. quo hæc ſcribere incepi mittitur ex Hiſpania Decretum in favorem *Immaculatæ Conceptionis*, quod fecerunt PP. Prædicatores in hæc verba ex autographo deromptum.

 Decre-

Decretum Religionis S. Dominici factum in Capitulo Beneventano, Anno 1653.

Tandem præcipimus in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ obedientiæ, & ſub præcepto formali omnibus, & ſingulis noſtræ Provinciæ Fratribus, ac Sororibus, ne verbo, aut ſcripto circà materiam Conceptionis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ *apud perſonas extra Ordinem conſtitutas aliquid proferant, quod vel leviſſimè eorum pietatem, ac devotionem erga ſanctiſſimam Virginem impedire poſſit, aut turbare; ſed ad unguem Decreta ſummorum Pontificum in Silentio ſervando, etiam à non prohibitis circa noſtræ ſententiæ probabilitatem penitùs abſtineant, ne ex inordinata, aut minùs prudenti locutione ſumatur occaſio turbationis, & ſcandali; Sed potiùs ex Religioſo ſilentio, ex verborum, & actionum modeſtia, reverentia Religionis, ac fidelium ædificatio, & devotio conſequatur. Quod ſi quis huius præcepti violator exſtiterit pœnæ gravioris culpæ, etiam quoad pœnas privatas & infamiam ſubiaceat; & ſimili pœnâ plectatur quicunque huius legis fractionem cognoverit, & ſtatim non renunciaverit R. P. noſtro Provinciali.*

Vt verò Religio adiuvet, & ſuſtentet ex ſua parte devotionem, & pietatem fidelium in ſancto Myſterio, præcipitur omnibus Prælatis, ut in noſtris Conventibus, ubi Communitates, Congregationes, Confraternitates Iuramentum facere voluerint, illis ſint auxilio, & aſſiſtant cum omni promptitudine (admonendo priùs de hoc Provincialem) & ſerviant cum apparamentis, ſuppellectile ſacra, & omni diligentiâ in omnibus, quæ ad prædicta feſta fuerint neceſſaria.

Et Cathedra ſit libera pro Concionatoribus Religionum, quos cupient, ut Concionentur, illi qui celebrant dicta Iuramenta, & in hac conformitate notum ſit, quod intra paucos dies inſtituetur Iuramentum à Civitate Placentina in noſtro Conventu ſancti Vincentij, & concionabitur quidam Curatus illius ſanctæ Eccleſiæ.

Vt aſſiſtant invitati noſtri Religioſi, & communitates concionibus, & feſtis huius Myſterij & Proceſſionibus, & alijs actionibus publicis, & in omnibus occaſionibus laudetur, glorificetur, & ſuſtentetur prædicta devotio.

Et præter alias inſtantias, quas hæc Provincia ſæpiùs fecit Romæ, & facit cum noſtro Generali, ut ſollicitet definitionem huius puncti, ſcribantur litteræ ex nunc ſummo Pontifici in nomine huius Capituli & Provinciæ Hiſpaniæ (quæ in literis & authoritate primum

obti-

obtinet locum in tota Religione) rogando cum omni ſubmiſſione, & efficacia, ut dignetur definire hoc punctum, quidnam agendum nobis ſit, ut omni ex parte ceſſent turbationes, quæ oriuntur ex diverſis opinionibus. Hactenùs verba decreti, in quo magni ponderis eſt, quod Immaculata Conceptio vocetur *ſanctum Myſterium.* Faxit Deus, ut etiam reliqui eorum Fratres tàm piè ſentiant, & unanimi omnium conſenſu petatur â Sede Apoſtolica definitio pro *Immaculata Conceptione* juxta *Vniverſi Orbis Vota.* Interim ex his Decretis Ordinis clarè patet piam ſententiam de Immaculata Virginis Conceptione non modò non impugnari (uti vulgus putat) â ſacro Prædicatorum Ordine, ſed multò magis defendi, ac promoveri; licet pauci aliqui ex dicto Ordine, privato quodam ſtudio ſe opponant.

§. II.

Immaculatæ Conceptionis veritas ſtabilitur ex Divinis Officijs RR. PP. Prædicatorum.

I. VAria hic Ordo pro temporum varietate, & moderatorum voluntate recitavit Officia. Antiquitùs enim ſub nomine tantùm Conceptionis, prout nunc Romana celebrat Eccleſia, feſtum *Immaculatæ Conceptionis* honorabat: ut teſtis eſt Raymundus Lullus, qui vixit circa annum 1311. M. Antonius Palaus, & alij. Exardeſcente poſtmodum inter partes acri contentione, cùm Ordini præeſſet Generalis Magiſter Vincentius Bandelus ſivè de Caſtronovo; eius juſſu, & operâ circa annum Domini 1527. prodijt officium ſub nomine ſanctificationis, in quo multorum SS. PP. dicta depravata, & immùtata, & mutilata ſunt, uti latè oſtendit Fam: Ciſm: in Regeſto, & Lucas VVadingus in Legatione. Sed biennio poſt evulgatæ ſunt horæ ejuſdem Ord. non ſolùm ſub nomine Conceptionis ſed etiam *Immaculatæ*: ex quo manifeſtè colligitur dictum Ordinem non totum, aut ubique impugnâſſe olim *Immaculatam Conceptionem.*

Lullus Prolog. Tr. de Conc. Palaus fol. 79. Reg. col. 249. VVading. ſect. 2. orat. 5.

Excerpamus nonnulla ex illis horis, Titulus eſt hic: *Horæ Beatæ Mariæ Virginis ad uſum Fratrum Prædicatorum Ordinis S. Dominici: figuris utriusque Teſtamenti, ac pervenuſtis imaginibus, & ijs quidem non paucis paſſim decoratæ, atque officio Conceptionis Immacu-*

maculatæ Virginis , & officio S. Dominici in alijs horarijs hactenus impreſſis nequaquam inſertis, adaucta. Verundantur Pariſiis in ædibus Viduæ ſpectabilis Viri Thielmannij Kerver , in vico Divi Iacobi ſub ſigno Vnicornis. Vbi & impreſſæ Anno M. D. XXIX.

Ex Matutino Hymnus:

Benedicta Conceptio Virginis Matris Mariæ feſtivetur cum gaudio; adſit dies lætitiæ: Lætetur tota Regio ſerviens Regi gloriæ; non obſtante obiurgio detrahentis invidiæ.

Verſ. In conſpectu Altiſſimi Immaculata permanſiſti.
Reſp. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Oratio.

DEVS, qui pro ſalute humani generis carnem glorioſæ Virginis Mariæ aſſumere dignatus es, & ipſam ſine macula concipiendam ante ſæcula in matrem prælegiſti; concede propitius; ut qui de eius Conceptione, quæ fuit noſtræ Redemptionis, nec non temporum plenitudinis exordium, lætamur; eius pijs interceſſionibus ab inſtantibus periculis, & à morte perpetua præſervemur. Qui vivis, &c.

Ad Tertiam Hymnus:

Conceptio laudabilis ab Angelo nunciata Mariæ tam amabilis in conceptu præſervata, Eſt unde venerabilis Eccleſia illuſtrata, & in ſuis miraculis, & laudibus honorata.

Ad Sextam Hymnus:

Ave Regina Cœlorum inter omnes mitiſſima,
Ave decus Angelorum inter omnes pulcherrima,
Simul, & Archangelorum omni laude digniſſima,
Quæ Concepta vitiorum ſine labe puriſſima.

Ad Nonam Hymnus.

Vnum corpus, & viſcera, quæ Dominum portaverunt;
Virginalia ubera, quæ ipſummet lactaverunt,
Beata ſint, & opera tua, & qui crediderunt:
Quæ ſine labe Concepta, poſt & ànte remanſerunt.

Ad Veſperas Hymnus:

Salve Mater Salvatoris, quæ es ſoror inſignita,
Salve, quæ Deum paris, Angelorum ſpes & vita.
Salve Virgo ſingularis, verè ſacra Margarita:
Salve, quæ ſtella maris, & ſine labe Concepta.

Ad Completorium Hymnus:

Matris Dei Conceptio, eſt noſtræ Redemptionis
Potiſſima inceptio, atque reparationis:

Et

Et non mirum exemptio antiquæ contagionis
Fuit, & in principio ipſius creationis
Perpetua Salvatio.

Ad ſingulas horas repetitur ℣. & Oratio ut ſup. quibus ſanè nihil illuſtriùs, ex adverſariorum penu depromi poſſe videatur. Servatur præfati Officij, & Horarum exemplar Madriti in Cœnobio PP. S. Franciſci, & ad verbum tranſcriptum eſt in Armamentario Familiæ Ciſmontani. Nierembergius teſtatur id â ſe viſum Madriti originale. *Arman. Reg. Cal. 235.*

II. In Martyrologio Ordinis PP. Prædicatorum, quod Anno Chriſti 1254. tribus, & triginta videlicet annis poſt obitum D. Dominici conſcriptum eſt, refertur ad Octavam Decembris Feſtum Conceptionis his verbis: *Conceptio ſanctæ Mariæ Virginis Feſtum duplex.* Idem extat in altero Martyrologio, quod in lucem edi curavit Seraphinus Cavalli Generalis Magiſter Ordinis, cura P. F. Ioannis de Palentia Anno 1579 qui in prœmio tradit, ſecutum ſe fuiſſe ad huius emendationem prædictum alterum Año 1254. in reformatione Miſſalium,& Breviariorum, quæ ex Capituli Generalis Salmanticæ Anno 1551. celebrati decreto prodijt, Ibi occurrit hic titulus: *Conceptio ſanctæ Mariæ totum duplex.* *Nieremb. Except. cap. 23. Nieremb. cit.*

III. Anno 1566. prodijt Pariſijs Catena Aurea D. Thomæ ad cuius calcem leguntur duo Indices Concionatorij Romanus alter, alter ſecundum ordinem Prædicatorum. In priore nulla fit mentio de Conceptione; in poſteriore ponitur expreſsè: *In Conceptione Beatæ Mariæ.* loquente IESV in Sabb.

Hæc ideò retuli, ut conſtet Patres Prædicatores, & olim, & defacto in Officijs ſuis, in Martyrologijs, in Calendarijs uſos eſſe nomine Conceptionis, non verò ſanctificationis, uti Bandellus temerariâ novitate præcipere voluit: adeoque PP. Prædicatores Immaculatæ Conceptioni addictiſſimos jam olim fuiſſe.

§. III.

Immaculatæ Conceptionis veritas ſtabilitur ex celebratione ſolenni feſti Conceptionis apud PP. Prædicatores.

I. Satis quidem ex allatis ſuperiore §. liquet feſtum Conceptionis Marianæ â Prædicatoribus ſolenniter celebratum,

Digitized by Google

tum; hic tamen aliqua ſpeciatim addenda ſunt. & primò quidem recolendum quod libro II. hujus Operis de Senenſi urbe, commemoro Cultu IX. videlicet Patres Dominicanos ditionis, & urbis Senenſis Anno 1520. ſeſe communi urbis illius pietati, & Iuramento de celebratione feſtiva Immaculatæ Conceptionis accommodâſſe, Leonis Papæ X. juſſu recitâſſe Officium de Immaculata Conceptione, atque adeò Orbis Vniverſi Votis ſubſcripſiſſe; ut ſanè cauſam non videam cur alij ejuſdem Ordinis alibi locorum id præſtare recuſent. Nam ſi illic ſalvâ ſtatutorum ſuorum obſervatione palàm legere, cantare, exclamare pro concione auſi ſunt, imò debuerunt jubente Sede Apoſtolicâ illam Antiphonam Officij Nogarolici *Tota pulchra es Maria, & macula originalis non eſt in te*, cur quæſo non auderent etiam Viennæ Auſtriæ coram Sac: Cæſ: Majeſtate, & in ejus gratiam, ſicut tum in gratiam Senenſium, legere, ſcribere, dicere pro concione *Tota pulchra es Maria, & macula originalis non eſt in te.* Aut certè concordi cum alijs membris Facultatis Theologiæ ſenſu, *publicè ac privatim velle piè tenere, & aſſerere: Beatiſſimam Virginem Mariam Dei Genitricem, abſque originalis peccati macula conceptam eſſe, donec aliter â Sede Apoſtolica definitum fuerit?*

Iurament. Acad. Vien.

Bell. de ſcript. Eccleſ. VVading. in Ann. minor. Raym. Lull. in Prol. Tr. de Conc.

II. Antiquiùs eſt quod refert Raymundus Lullus (quem virum à quorundam calumnijs egregiè vindicant Bellarminus, & nuperrimè VVadingus) in ſuo Tractatu de Conceptione. Teſtatur enim ſub Annum 1250, feſtum Conceptionis Deiparæ ſolenni ritu à Patribus Dominicanis in Gallia celebratum. Verba ejus ſunt: *Contigit quod ſedens in Choro Fratrum Prædicatorum Avenione ſeptimo menſis Decembris Secularis quidam & pauper Canonicus, dum Veſperas Conceptionis Virginis Mariæ fratres ſolenniter celebrarent, &c.*

Cather. lib. 1. diſp. pro Imac. Concept.

III. Non unius tantum loci, aut civitatis hanc devotionem fuiſſe teſtatur Ambroſius Catherinus, & ipſe Dominicanus, qui poſtquam aſſeruiſſet in Vniverſo Orbe, & ab omnibus Eccleſijs celebrari feſtum ſub nomine Conceptionis, quo quidem nomine ſimpliciter intelligitur Immaculata Conceptio, uti fateri debent ipſimet PP. Prædicatores, alioquin fruſtra aliqui illorum voluiſſent mutari nomen Conceptionis in nomen Sanctificationis: ſubdit Catherinus: *Quem ritum iam communiter omnes Ordines (ut par erat) receperunt noſtro duntaxat excepto, qui etiam in hoc diviſus eſt. Nam in toto Chriſtianiſſimo regno ſub eo*

nomine

nomine abſque ullo ſcrupulo. Fratres noſtri eam celebrant ſolennitatem. Et alibi de eadem re ſcribens: *quin & ipſe noſter Ordo ſecum minimè conſtat; cùm Tranſalpini Fratres noſtri Ordinis ſapientiſſimè concedant, & morem univerſalis Eccleſiæ ſequantur ſub nomine Conceptionis celebrantes: inter quos tamen non deſunt Doctiſſimi Patres, & Magiſtri, qui in Lectione B. Thomæ Italis non cedunt.* Ex paucùlis his verbis Catherini plura colligo argumenta, quibus vir Doctiſſimus ſuis commilitonibus ſuadere voluit, ut & ipſi univerſim piæ ſententiæ ſubſcriberent. Primò quia, inquit, jam omnes alij Ordines piæ opinioni favent,& adhærent,æquum igitur eſt, ut etiam Ordo Prædicatorum accedat, & non ſit ſingularis; quod ipſum etiam innuit Henricus de Haſſia de quo inf. lib. tertio agam. Secundò In toto Chriſtianiſſimo regno Ordo Prædicatorum celebrat ſub nomine Conceptionis, & in alijs multis locis non celebrat, ergò Ordo diviſus eſt; quid indè exſpectandum? Nonnè omne *regnum in ſe diviſum deſolabitur?* Tertiò In Chriſtianiſſimo regno PP. Prædicatores ſubſcribunt piæ opinioni;addo ego etiam in Catholiciſſimo regno; cur non etiam in Imperio Romano? cur non etiam in Italia, & Germania ſervant uniformitatem cum alijs regnis? An quia minoris æſtimant Romanum Imperatorem, quàm Reges Catholicum, & Chriſtianiſſimum? an quia minùs (volebam ſcribere magis) ſapiunt Germani, & Itali Prædicatores quàm Hiſpani, & Galli? Quartò. In Gallia ſine ullo ſcrupulo piæ ſententiæ cum Iuramento ejus propugnandæ adhærent PP. Prædicatores, licet jurent in verba Magiſtri, ergò etiam alibi ſine ullo ſcrupulo id præſtare poſſunt. Quintò. Tranſalpini Dominicani ſapientiſſimè concedunt Beatam Virginem ſine macula conceptam, ergò Ciſalpini non negant ſapienter. Sextò. Tranſalpini non cedunt Ciſalpinis quoad doctrinam, ergo cùm Tranſalpini intelligant veritatem eſſe, quòd Deipara ſit concepta ſine originali, & in hoc puncto ſequantur Vniverſalem Eccleſiam, quid ſentiendum erit de Ciſalpinis, qui non ſequuntur Vniverſalis Eccleſiæ morem?

Catherin. Diſp. ad PP. Concil. Trid. parte 2.

Hæc ex prædictis Catherini verbis per parentheſim animadverſa. Ad quæ præſentio tacitum quorundam reſponſum, quod olim eidem Catherino Magiſter Generalis Prædicatorum objecit his verbis: *De rebus Pariſinis nemo eſt, qui melius loqui ſciat, quàm ego; & ſcio vobis dicere, quod in tali ſolennitate aliqui non celebrant: aliqui, quando non eſt, qui videat; id eſt quando nullus adſtat, celebrant ſub titulo Sanctificationis: alij tuſſiunt: & lo-*

 quun-

quuntur intra dentes, ac nihil exprimunt: alij pro meliori affectione, quâ ad illud Gymnaſium tenentur, quod decoxit ad fæcem, celebrant ſecundùm intentionem illorum capitoſorum. Referuntur hæc â Catherino in explanatione Controverſiæ exortæ inter Senenſes, ac Prædicatores, de qua paulò ante. Verùm an non ille Magiſter Generalis Catherino hæc perſcribens porrexerit Davidi gladium Goliathi prudens Lector judicet. Cæterùm injuriam videtur feciſſe multis planè egregijs, & doctiſſimis viris ſui Ordinis, aſſerens illos in ſacro tuſſire, loqui intra dentes, non exprimere nomen Conceptionis &c. hoc eſt in ipſa Miſſæ celebratione perjuros eſſe. ſi enim ex antiqua Pariſienſis Vniverſitatis lege omnes Academici cujuſcunque Ordinis, etiam Prædicatorum, jurant, & vovent piam de Immaculata Conceptione Virginis ſententiam defendere, promovere &c. quomodò non forent perjuri contrarium agendo? putem igitur illos Academicos Pariſinos qui tempore Catherini vixerunt de Immaculata Conceptione ſenſiſſe, docuiſſe, celebrâſſe Miſſam; eo modo quo obligati erant ex Iuramento & præter Ioannem Veri, ac Ioannem Monteſonum antiquiores, vix aliquem ad partem contrariam deflexiſſe. Hodiernos item ubique locorum Patres Prædicatores non alio nomine in Miſſa uti, quàm Conceptionis iuxta Apoſtòlicas Conſtitutiones, & colere Deiparam ſine originali conceptam; cùm, uti habent â ſanctiſſimo ſuo Præceptore D. Thoma non celebretur feſtum niſi de ſancto, omninò mihi perſuadeo.

Cather. defenſo §. 3.

D. Thom. 3. p. q. 27. a. 1.

§. IV.

Immaculatæ Conceptionis veritas ſtabilitur ex Confraternitatibus & locis ſacris apud PP. Prædicatores.

I. BRuxellis in Belgio eſt Confraternitas Hiſpanorum in Cœnobio PP. Prædicatorum ſub titulo *Immaculatæ Conceptionis*; quæ ſine dubio eo fine inſtituta non eſt, ut celebret Deiparam in peccato originali conceptam. Sed in Conceptione puram. Teſtes hujus adhibeo Ciſmontanos Patres Minores.

Ciſm. Reg. mihi col. 528.

II. Hiſpali quoque habent ijdem PP. Prædicatores Cœnobium

bium dictum Reginæ Angelorum, in eo eſt vetus Sodalitas B. V. Immaculatè Conceptæ, uti teſtatur Alexander Riarius Iudex Cauſarum Apoſtolicus, qui eam vocat Confraternitatem Puræ, & limpidæ Conceptionis Dominæ noſtræ. Approbata eſt Anno 1567. à S. Carolo Borromæo S. R. E. Card. Pij Papæ V. majore Pœnitentiario, de mandato ſanctiſſimi, vigetque in hodiernum diem. Anno 1616. controverſiæ quædam inter PP. Prædicatores & Confratres prædictæ Sodalitatis exortæ ſunt. Volebant Patres nomen Immaculatæ Conceptionis abolitum: at Sodales maluerunt locum, & PP. Prædicatores deſerere, quàm titulum. Conſilio proinde inito tranſtulerunt Confraternitatem ad PP. S. Franciſci, donec interpoſitione R. P. Provincialis, & aliorum rectè cum pia Sententia opinantium, denuò conventum, & concordia inita, titulusque Immaculatæ Conceptionis conceſſus, probatus, & confirmatus eſt; uti infra clarius exponam in Ioanne Ariola.

III. Habet idem ſacer Prædicatorum Ordo plura loca Immaculatæ Conceptioni vel dicata, vel devota. In Vrbe Giennenſi Anno 1568. erectum eſt Monaſterium Monialium Ordinis Prædicatorum ſub Invocatione Puriſſimæ Conceptionis. uti teſtatur Pæton. & Ægid. Gonzalez. *Pæton. hiſt. c. 38.* *Gonzalez in Theat. f. 221.*

Similiter Luechæ in Toletana Diœceſi ſunt Moniales, quæ utuntur veſtitu Dominicanarum, & Regulâ S. Auguſtini, quarum Cœnobium Anno 1630. fundârunt Comites de Olivares ſub invocatione Immaculatæ Conceptionis.

Plura ſimilia brevitatis causâ prætereo: illa tamen prætere non poſſum, quæ referunt Ciſmontani; nempe: *Ciſm. Reg. Col. 479.*

IV. Madriti in Cœnobio Patres Prædicatorum de Roſario nuncupato in via S. Bernardi ſupra majorem ipſius portam aureis literis hæc inſcriptio legitur:

D. O. M.

Deiparæ Virgini ſine labe Conceptæ, Virgini Sponſo Ioſeph, & Franciſco Seraphico &c. Anno M. DC. XXXVII.

V. Alterum eſt, cujus etiam luculentum teſtimonium reperio apud Vincentium Iuſtinianum Antiſtium Prædicatorem qui ſcripſit Valentiæ in Cœnobio ſui Ordinis Patrū Prædicatorum extare campanam maximam cui hæc in circumferentia leguntur inſcripta: *Antiſt. Tr. de Conc. ſ. 18.*

Maria Virgo ab omni peccato originali fuit immunis.

Digitized by Google

Ecce quot ingenioſis inventionibus Patres Prædicatores, varijs in locis affectum ſuum erga Immaculatam Conceptionem mundo teſtantur!

§. V.

Immaculatæ Conceptionis veritas ſtabilitur ex multitudine Patrum Prædicatorum, qui eam in Vniverſitatibus propugnant & docent.

VVadimg. in Annal. Min. ad an. 1304.

I. Pariſijs eſt Vniverſitas, quæ ex voto jam olim emiſſo (uti alibi oſtendo) quotannis ſolenniter celebrat feſtum Immaculatæ Conceptionis Epiſcopo Sacrum cantante, & uno è Doctoribus Theologis de Immaculata Virginis Conceptione perorante. Quæ feſtivitas ſi in diem Dominicum incidat peragitur in Conventu RR. PP. Prædicatorum, quorum multi etiam ſunt membra Vniverſitatis, & cum cœteris jurant defenſionem Immaculatæ Conceptionis; & tùm ipſi, tùm alij dictæ feſtivitati celebriùs peragendæ cooperantur.

Antiſt. in Addit. ad cap. ult. vitæ B. Lud. Beltr. §. 18.

II. Salmanticæ pari modo ſunt complures Patres Prædicatores, qui in Academia illa celeberrima primarias occupant Cathedras, & juxta pium Vniverſitatis morem (de quo libro II. Operis hujus dico) jurant & vovent ſe pro viribus propugnaturos Immaculatam Deiparæ Conceptionem. Hujus rei teſtis omni exceptione major eſt Vincentius Antiſtius Dominicanus, cui de ſe, & ſuis Scribenti omninò habenda fides, in hac præſertim materia.

Antiſt. loco ſup. cit. Eman. Migagna Not. publ. An 1651.

III. De Complutenſi Academia nominatiſſima per totam Europam, præter jam memoratum Antiſtium Dominicanum, teſtatur etiam publicus eius loci Notarius, cujus Originales literæ mihi ante ſeptennium Compluto tranſmiſſæ fuerunt, & copiam earum exhibeo Libro II. Operis hujus Cultu X. §. 9. quod videlicet in ea Vniverſitate antiquitùs doceant Patres Prædicatores, & cum cœteris Doctoribus voveant ſolenniter defenſionem Immaculatæ Conceptionis, & quidem tot quot àd Vniverſitatis membra vel Cathedras accedere volunt: accedunt autem juxta perſonarum mutationem ſæpiſſimè.

IV

Digitized by Google

IV. Valliſoletanæ item Academiæ Regiæ Doctores ab Anno 1618. jurant ſoleñi ritu defenſuros ſe, ac propugnaturos *Doctrinam diſſerentem Glorioſam Virginem Dei Genitricem Mariam, præveniente & operante divini muneris gratiâ ſingulari, nunquam actuali ſubiacuiſſe originali peccato.* uti fuſiùs dixi Lib. II. Teſtantur hoc præter prædictum Antiſtium, Ciſmontani, & recenter dum iſta in lucem edo eruditiſſimus P. Nierembergius. In hac verò Vniverſitate ſemper etiam ex Ordine Patrum Prædicatorum unus aſſumitur ad Cathedram Theologicam, haud dubiè plures in membra Theologicæ Facultatis. *Antiſt. cit. Ciſm. Reg. col. 372. Nieremb. Except. c. 23. §. 1.*

V. Tranſeamus ad Indos. Limæ in Pervano regno ab Anno 1619. ſinguli Vniverſitatis Doctores iurant, inter quos ſunt etiam Patres Prædicatores, quorum unus Theologicam Cathedram occupat, *profiteri, docere, defendere, neque unquam aliter verbo, ſcripto, aut quacunque aliâ ratione agere, veram illam ac naturalem ſanctiſſimæ Virginis Conceptionem, in primo ipſo vitæ ſuæ initio omni prorſus originali labe caruiſſe. &c.* Hoc etiam atteſtantur præter Antiſtium & Nierembergium citatos, Ciſmontani, & Didacus Guttierez peculiari libro, quem hac de re Phillippo III. Regi Catholico dedicavit. *Antiſt. ſup. Nieremb. ſup. Ciſm. ſup. & Gutt. de Iuram. Lim.*

VI. Cùm hæc ita ſe habeant clariſſimis fulta teſtimoniis, credo me hoc ipſo etiam Patres Prædicatores, qui in Archigymnaſio Viennenſi Cæſareo & Archiducali numerum augent Facultatis Theologicæ, præmemoratis adnumerare poſſe. Quo iure, inquies? ſpontaneæ ipſorum oblationis. Dum enim Anno 1649. Viennæ Auſtriæ ageretur de faciendo Iuramento Academico defendendæ impoſterum Immaculatæ Conceptionis, iubente ac volente Sac: Cæſ: Maieſt: Ferdinando Tertio, eaque res etiam PP. Prædicatoribus (quorum tunc duo erant Profeſſores Academici, & membra Facultatis Theologicæ) propoſita fuiſſet ac intimata; rogârunt humiliter prædicti Patres, ne quid per tale Imperium Sua Majeſtas Ordini Patrum Prædicatorum ejuſque ſtatutis præjudicare vellet; facturos ſe tamen libenter ea omnia, quæ in alijs Catholicis Vniverſitatibus ſimile ſtatutum habentibus Ordo illorum Conſtitutionibus ſuis ac Pontificijs illæſis, præſtare poteſt. Annuit Auguſtus Cæſar huic petitioni, & benevolæ oblationi, ideoque Decreto ſuo (quod in Appendice libri IV. exhibeo) expreſsè illa inſerta voluit: *Non intendimus tamen hoc noſtro ſancito Ordini S. Dominici quidquam præiudicare aut derogare; confidimus tamen eiuſmodi ab illis ſubiecta* *Decret. Cæſ. prim.*

iecta Vniverſitati & Facultatibus præſentanda, quæ in præſenti cauſa id præſtent, quod in alijs per Chriſtianum Orbem Vniverſitatibus ſimile ſtatutum habentibus Ordo ille perinde Conſtitutionibus ſuis, ac Pontificijs illæſis, præſtare poteſt. Eadem repetit pientiſſimus Cæſar in altero Decreto, quo confirmat Statutum Vniverſitatis, & addit, *uti ſeſe etiam ijdem Patres benevolè obtulerunt, eiuſmodi ab illis ſubiecta Vniverſitati & Facultatibus præſentanda, quæ omne id in hac cauſa præſtitura ſint, quod in alijs Catholicis Vniverſitatibus. &c.* Iam ergò cùm ſe benevolè offerant iſti Patres ad omne id præſtandum, quod alibi locorum præſtant ejuſdem Ordinis Patres, & certum ſit ex ſupradictis, quod alibi locorum Patres Dominicani defendant ac jurent defendere Immaculatam Conceptionem; nec poſſim mihi perſuadere de tam egregijs viris, quod Cæſari aliquid promittant, quod ſervare non cogitent; ſequitur illos defactò ſentire, tenere, docere Immaculatam Conceptionem; imò paratos eſſe ad Iuramentum cum alijs Doctoribus Academicis emittendum: adeoque meritò à me hoc loco numerari inter Fautores, ac Propugnatores Innocentiæ Marianæ. Quodſi præter ſpem Auguſti p. m. Cæſaris Ferdinandi, & ſuppoſitionem meam aliud promiſerunt, aliud agunt negativè; id eſt, non agunt poſitivè quod promiſerunt, viderint quomodo jurent in verba Magiſtri, & explicent illud D. Thomæ: *Dicendum quod ſecundum honeſtatem ex qualibet promiſſione homo homini obligetur, & hæc eſt obligatio iuris naturalis.* Et ſupra dixerat: *Obligat autem ſe homo homini ad aliquid, per modum promiſſionis, qui eſt rationis actus, ad quem pertinet ordinare. Sicut enim homo imperando, vel deprecando ordinat quodammodò, quid ſibi ab alijs fiat; ita promittendo ordinat, quid ipſe pro alio facere debeat:* in quem locum Cajetanus: *Quod promiſſio ex natura ſua obliget in littera habes hic, & in art. 3. ad primum. & manifeſtè patet ex uſu hominum. Nam fidei reos dicimus non ſervantes promiſſum licitum. Hoc enim teſtatur, quod contra fidelitatem agitur, cum promiſſio violatur.* Nihil hic adderem niſi unus aliquis mihi obganniret; in ſupracitato Decreto Cæſareo addi illam clauſulam, quæ videtur Patres Prædicatores abſolvere à promiſſionis obligatione: *Cenſuerunt Facultates eoſdem Patres nullo vigore præſentis Decreti Iuramento in hac cauſa obligandos eſſe.* Verùm hæc clauſula ita non abſolvit Patres Prædicatores à Iuramento Academico, ut potiùs obliget magis. Duo enim hic conſideranda ſunt ex parte Auguſtiſſimi Cæſaris unum, nempe fidu-

Decret. Cæſar: ſecund.

D. Thom. 2.2. q. 88. a. 3. ad 1. D. Thom. 2.2. q. 88. art. 1. Reſp. Dic. Caiet. in 22. loco cit.

fiducia ejus, & ſpes de fidelitate ſubditorum; unde dicit *Confidimus*, quod eſt quaſi conſilium, & ad humanitatis leges formatum præceptum; quia quæ ſuadent ac rogant Principes honeſta, ea præcipere cenſendi ſunt. Alterum eſt promiſſio, & benevola Patrum Prædicatorum oblatio, præſtandi Viennæ id, quod alibi locorum Patres ejuſdem Ordinis præſtant. Iam, *cenſuerunt* quidem *Facultates* (uti habet præmiſſa clauſula) *Patres nullo vigore Præſentis Decreti, Iuramento in hac cauſa obligandos eſſe.* & ſapienter cenſuerunt; cenſui & ego indignus tunc Facultatis Philoſophicæ Notarius, quia ad conſilia nulla eſt obligatio; igitur verùm eſt quod Patres Dominicani vigore Decreti Cæſarei, quod erat ſolùm (reſpectu ipſorum) per modum conſilij, non obligentur ad Iuramentum; non tamen cenſuerunt Facultates (ſed nec prudenter poterant) dictos Patres vigore ſuæ promiſſionis, & ſpontaneæ ac benevolæ oblationis non teneri ad Iuramentum Academicum. Aliud enim eſt teneri vigore præcepti vel conſilij; aliud teneri ac obligari vigore promiſſionis, ac benevolæ oblationis; ſicuti fit in conſiliis Evangelicis v. g. obſervatione caſtitatis, cuius conſilium dedit Chriſtus; ita ut nullus vigore conſilii ad eam obligetur: ſiquis tamen ſponte ſuâ ſe offerat, ac promittat ſervare caſtitatem; profectò obligatur ad eam ſeruandam, vigore ſuæmet promiſſionis, uti docet S. Thomas, Caietanus, & alii omnes Theologi.

Dicendum quod ad fidelitatem hominis pertinet, ut ſolvat id, quod promiſit. Vnde ſecundùm Auguſtinum fides dicitur ex hoc, quod fiunt dicta. Maximè autem debet homo Deo fidelitatem, tùm ratione dominij, tùm ratione beneficij ſuſcepti: quæ omnia ad præſentem caſum applicari poſſunt, licet promiſſio non ſit facta Deo, ſed homini. *D. Thom. 2.2. q.88. a. 3.*

§. VI.

Immaculatæ Conceptionis veritas ſtabilitur ex obſervationibus circa dicta, præcedentibus §. 5.

I. OBſervo non eſſe parvi momenti conſiderationem quod in præcipuis Orbis Academiis, in præcipuis Monaſteriis Patrum Dominicanorum reperiantur viri inſigni-

ter docti, quorum alii aliis ſuccedunt longo temporum decurſu, qui piam de Immaculata Virginis Conceptione ſententiam amplexantur. In Pariſina iam inde ab Anno Chriſti 1346. vel ut aliis placet 1330. defenditur pia ſententia, iurantibus Magiſtris eam, non aliam ſe defenſuros: à quo ſanè tempore continuatâ ſerie, cùm lapſi ſint trecenti anni & plures, quis diffitebitur trecentos & plures Patres Prædicatores in una illa Vniverſitate piam ſententiam docuiſſe, ac ad eius defenſionem Iuramento ſe obſtrinxiſſe? Et licet non quotannis perſonarum fiat mutatio, quia tamen eodem tempore plures eiuſdem Ordinis ſive ad Cathedras, ſive ad Facultates admittuntur, mutationis defectum, compenſat ſimultanea multitudo. Cœteræ Academiæ recentiorem habent Iuramenti obligationem; ſed certè etiam vivaciorem, & quæ ne minimum à quoquam adverſus Immaculatam Conceptionem dici permittat. Et quia multi etiam Patres Dominicani adſcribuntur iiſdemque ligantur Iuramentis, conſectaneum eſt potiorem, & meliorem partem PP. SS. Ordinis Prædicatorum pro pia ſtare ſententia.

Nieremb. in Præfat. ad Theorian. II. Obſervo quod doctiſſimus P. Euſebius Nierembergius S. I. in Opuſculo ſuo, nuper dum iſtud noſtrum limaremus edito, annotavit: *Vt iam dixi & libenter repeto, præcipua pars imò corpus huius Familiæ addictiſſimum eſt devotioni Immaculatæ Conceptionis Matris Dei, cùm excedat numero ſcriptorum, qui eam defendunt, plurimas alias Religioſas familias. &c.* Et poſt pauca: *Præter Scriptores fuerunt multi, & hodie ſunt, qui in Concluſionibus eam prædicent, alij ſunt qui in corde ſuo eam venerantur, quamvis minùs id exterius demonſtrent: Aliqui metu iuſto, alij tamen iniuſtâ forte contentione.* Voluit credo vir doctiſſimus inſinuare id, quod nos hoc libello oſtendimus, præcipuam partem huius Familiæ, id eſt ipſum S. Fundatorem Ordinis Dominicum, alioſque Ordinis Sanctos, & quidem S. Thomam cuius ſententias cœteri iurati ſequuntur: voluit inſinuare Generales Magiſtros totius Ordinis, quorum plures inferius enumerabimus: voluit inſinuare viros alios clariſſimos, & dignitatibus conſpicuos, qui piæ ſententiæ cordatè ſubſcribunt. Quæ quantum afferant momenti ad ſtabiliendam veritatem Immaculatæ Conceptionis, prudens quiſque facilè intelligit.

III. Obſervo, quod iidem Doctores Ordinis Prædicatorum de quibus hic genericè, infra ſpeciatim fit mentio tantâ pietate in Immaculatam Conceptionem arſerint, ut nova, & ab aliis Autho-

Authoribus non uſitata argumenta adinvenerint, quibus hoc Myſterium ſolidarent. Apparebit hoc infra in Hieronymo Bapt: de Lanuza, in B. Beltrano, in Ioanne à S. Thoma, & aliis, quos adducam. Et hoc videtur iudicare Vincentius Iuſtinianus Antiſtius Dominicanus, cuius ſæpè facio mentionem cùm ait de ſui Ordinis Patribus: *Viros inſignes, & in paucis doctos, & numero complures, nullam vim Scripturæ inferendo, neque Doctorum auctoritates fingendo, nec denique miracula adinveniendo, mirabili ratione declaraſſe, quomodo Virgo Sanctiſſima eſſe potuit, & fuit ab Originali peccato præſervata.* Ita Antiſtius apud Nierembergium.

Vincent. Antiſt. in Addit. ad vitam B. Berh. §. 18.

IV. Obſervo, quod nonnulli qui piam ſententiam non ſequuntur ex dicto Ordine Prædicatorum, favent tamen ei ſententiæ, eam ut piam, ut probabilem profitentes. Hos inter ſunt Caietanus, cuius unum alterumve locum infrà dabo: Medina, Canus, Durandus, quibus etiam aliquis addet Richardium vulgo Monſtrum Ingenij, Bzovium, & forte S. Antoninum. quos tamen puto conſtanter pro pia opinione ſtetiſſe. Huc ſpectat quod ijdem Patres Dominicani miracula commendent, quibus Originalis puritas Mariæ probari ſolet; uti fecit Catherinus, Iacobus de Voragine, Claudius Rota, Vincentius Iuſtinianus, & alii. Pari ratione commendant alii Revelationes de hoc myſterio factas, ùt Catherinus, Ioannes Herold, Iacobus de Voragine, Ioan: Sanchez, Petrus de Legizamo, Cardinalis Turrecremata, Vincentius Iuſtinianus, & alii, de quibus ſuo loco.

Nieremb. in Except. c. 23. §. 1.

V. Obſervo, quod puto præcipuum eſſe non tam ſtabiliendæ veritati de puritate Originali Deiparæ, quam ad inducendos PP. Prædicatores ſecus ſentientes; ut tandem aliquando mutatâ obſtinatione, & abundantiâ proprij ſensûs ſepoſitâ, cum Vniverſa Eccleſia, cum Vniverſi Orbis Votis conſpirent, & exclament animitùs *Tota pulchra es Maria, & macula Originalis non eſt in Te.* Nimirum, quod plures reperiantur Doctiſſimi viri Prædicatores, multorum Annorum Theologiæ Profeſſores Concionatores &c. qui fatentur, & clarè oſtendunt, piam de Immaculata Conceptione ſententiam non eſſe contrariam dictis & ſententiis D. Thomæ Doctoris Angelici, ſed Divum Thomam uel non determinaſſe, uel certe piæ ſententiæ adhæſiſſe, uti infra uidere licet ubi de Gaſpare Catalano, de Ioanne à S. Thomà &c. agemus. Quo poſito nihil profectò eſt quod cæ-

teros PP. Prædicatores moretur à defenſione piæ ſententiæ, quin potiùs eſt, quo animentur ad glorioſam ſequelam anteceſſorum, & ad explicandum S. Thomam, prout illi explicant in favorem piæ ſententiæ.

CAPVT II.

IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS myſterium ſtabilitur ex effectibus doctrinæ oppoſitæ, quam aliqui PP. Prædicatores ſequuntur.

IMmaculatæ Conceptionis myſterium Palma eſt, quæ preſſa ſurgit altius. Conatus nonnullorum aduerſus hoc myſterium incrementum illi præſtant, & ſolidantur huius Palmæ radices afflatu Boreali. Sunt autem conatus aduerſarium potiſſimùm triplices; ſcriptio, dictio, miraculorum, & reuelationum fictio, quibus correſpondent tanquam conſentanei effectus, ſcandala, & tumultus in populis, ſeueræ Principum leges, & pœnæ pro meritis; quæ omnia ſtabiliunt piam ſententiam. Et quia propter bonum non oriuntur ſcandala, uel tumultus; ad bonum prohibendum non conduntur leges, & decreta; bono non imponuntur caſtigationes, & pœnæ; hinc à contrario ſignum eſt, illud bonum non eſſe, propter quod iſta tria eueniunt. Elucéſcet meliùs ueritas ex ſeqq. SS.

§. I.

§. I.

Immaculatæ Conceptionis veritas ſtabilitur ex ſcandalis activis oppoſitæ ſententiæ.

I. QVod Sententia docens Deiparam conceptam eſſe cum peccato originali ſcandala pariat in populis, hoc tam certum, & indiſputabile eſt, ut ipſimet aduerſarij piæ ſententiæ fateri cogantur. Manuale Prædicatorum ſuprà citatum uocat oppoſitam opinionem *Valdè ſcandaloſam.* Statutum Ordinis ſub Generali Xauierre prohibet oppoſitam doctrinam *propter Scandalum fidelium.* Melchior Canus & ipſe Dominicanus, de aliquorum commilitonum ſuorum ſententia differens, inquit: *Perſtringitur vulgus fidelium, percutitur, & torquetur.* cùm ſcilicet audit *Mariam* proclamari peccato originis maculatam. *Can. 12. de locis cap. 11. apud VVading.*

II. Sed ad particularia deſcendamus. Ob diſſenſiones, & iurgia populorum, quæ per oppoſitam ſententiam ſunt excitata; coacti fuerunt Reges Aragoniæ, & Valentiæ ab Anno 1394. ad annum 1461. legibus ſeueriſſimis agere *in buccinatores maculatæ Conceptionis* ait Salyus, & nos idem ſuprà annotauimus lib. II. Cultu VII. ubi retulimus Sanctiones Ioannis I. Regis Aragoniæ. Martini I. Ferdinandi I. Alphonſi IV. Regum Aragonum: Mariæ item Reginæ Aragonum, & alterius Mariæ Reginæ Caſtellæ, Ioannis II. Regis Nauarræ &c. quorum Ioannes I. in ſuo Diplomate pio Zelo: *Taceant,* inquit, *vociferatores inutiles, Diſputatores ſtolidi erubeſcant, de tam præclara, Immaculata, & pura Conceptione Virginis violenta producere argumenta. &c.* Martinus uerò eius in regno ſucceſſor *pro inimicis ſuis publicis reputari voluit,* quicunque opinionem contrariam piæ concionando, uel diſputando, vel quovis alio modo docere præſumerent. Alij ſimilia; quæ ſup. referimus. *Amed. Saly. §. 7.*

III. Franciæ gens Deiparæ ſemper fuit addictiſſima, unde

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Valſingh. Hiſt. Angl. ad ann. 1389.

vix alibi majores in hac cauſa tumultus. Thomas Valſinghanus Benedictinus ſui temporis res deſcribens: *Per idem tempus in Francia FF. Prædicatores ſuam opinionem reaſſumentes de Conceptu B. Mariæ Virginis, in tantam efferati ſunt ſuperbiam, ut Epiſcopis illis indicentibus huius rei ſilentium, noluerint obedire; poſtremò nec Regi, nec Proceribus id iubentibus. Quapropter extrà protectionem Regiam facti ſunt. Iuſsi ſunt etiam intrà propria ſe habitacula cohibere: de labore manuum ſuarum: intra loca ſua vivere: egredi nuſquam præſumere ſub pœna capitali: præceptumque eſt eis ne de cætero quenquam ad Ordinem ſuum admitterent ſub pœna præmiſſa, ut poſt hos, qui modo vivunt, nullus eſſet, qui eorum Ordinem continuaret.* Sic Valſinghanus, qui in communi ſolùm annotauit; quid uniuerſim de illis ſancitum fuerit. Specialia verò, quæ in eadem Francia contigerunt circa PP. Prædicatores alij Authores conſignarunt, ex quibus operæ pretium eſt paucula decerpere, non inſultandi ſtudio, ſed ſuadendi ijs, qui needum nobiſcum ſentiunt, aliquando tandem ex malis ſapere.

IV. Princeps Vrbs Franciæ Lutetia eſt Pariſiorum, & à Regum præſentia, & ab Vniuerſitatis Sorbonicæ ſtudio, in eaque ex omni Ordine Doctorum confluxu longè celeberrima. In ea jam inde ab exordio Controverſiæ hujus turbæ plurimæ. Anno 1387. Frater Ioannes de Monteſono Dominicanus, ejus Vniverſitatis membrum liberiùs pro Concione ad populum egerat, auſus Deiparam Originalis peccati ream proclamare, & cæteris hominibus in Conceptione parem effutire. Hinc tanta non ſolùm adverſus ipſum Monteſonum, ſed & totum Prædicatorum Ordinem concitata tempeſtas, ut Author geſtorum Clementis VII. (qui Avenione ſe pro Pontifice gerebat) teſtatus ſe affuiſſe, & omnia cominùs perſpexiſſe, diram procellam in Ordinem ſuum Dominicanum, eâ de cauſa excitatam deſcribens altè ingemiſcat. Verba ejus ſunt inter alia plura:

Author Geſto. Clement. VII.

In toto ferè Regno Franciæ, quamplurimi contrà ipſos inſurrexerunt, multos ex ipſis captivando; oblationes, eleemoſynas eis denegando, Prædicationes Verbi DEI, Propoſitiones, & Confeſſionum auditiones eis inhibendo. Dicta etiam Vniverſitas Pariſienſis eos à ſe totaliter ſegregavit. Quoad actus ſcholaſticos nullibi faciendos, aut honores, & gradus recipiendos, nedum non admiſit; ſed etiam impedivit. In quibus omnibus fautores pauciſſimos, perſecutores plurimos habuerunt: fueruntque paſſi damna plurima, & infinita; nedum in perſonis, ſed etiam in bonis. Ac ut de iniurijs, opprobrijs

Digitized by Google

brijs, contumelijs, irriſionibus, & detractionibus taceamus; pro tunc facti fuerunt tanquam opprobrium hominum, & abiectio plebis: duravitque tempeſtas huiuſmodi per plures annos; nec fuit, qui eos adiuvaret: & hoc maximè, quia qui eos perſequebantur ſe B. Virgini exiſtimabant ſacrificare, cui dictum Ordinem, & eius ſuppoſita, multimodè iniuriari, & detrahere aſſerebant, in eo quod quaſi omnes ipſam aſſerunt, & opinantur in peccato Originali Conceptam fuiſſe, quod utique fore erroneum & damnatum, tales aſtruebant. Hæc ille Author ejuſdem Ordinis, de ſuis.

V. Ex Actis etiam Caroli VI. Gallorum Regis habetur, quod Rex arbitrum ſuæ conſcientiæ ex Prædicatorum Ordine aſſumptum munere Regij Confeſſarij abdicarit, pepuleritque tanquam infamem, eoquod Ioannis de Monteſono defenſorem ageret, & nunquam ſe deinceps è tali Ordine electurum aliquem, qui ſibi eſſet à Confeſſionibus, aſſeveraverit. Nec ſedata utrumque fuiſſet tempeſtas in populo coorta, niſi inducti Fratres Regiâ authoritate, Feſtum Conceptionis celebraſſent, & ſententiam *Immaculatæ Conceptioni* adverſantem, publicè revocaſſent. De turbis occaſione ejuſdem controverſiæ Rothomagi excitatis, & indito adverſarijs *Conceptionis Immaculatæ* probroſo *Huettorum* id eſt *exſibilatorum* nomine, meminit ejuſdem temporis res deſcribens Iuvenalis Vrſinus.

Acta Carol. 6. Reg.

Iuven. Vrſ.

VI. De turbis excitatis in Dieppenſi Normanniæ urbe memorat Trithemius in Chronico Spanheimenſi, ubi recenſet, quâ ratione Fr. Ioannes Veri auſus publicè declamare in Conceptionem Immaculatam, compulſus ſit ad palinodiam Iuramento firmandam. Hac occaſione decrevit Pariſienſis Vniverſitas (vel potiùs antiquum decretum innotavit) nulli omninò conferre gradum Academicum, niſi juraret ſe defenſurum Immaculatam Virginis Conceptionem. Subſecuta eſt exemplum Pariſienſium biennio poſt Colonienſis Vniverſitas, & altero biennio Moguntina; & fecerunt mali mores bonas leges: teſte eodem Trithemio, cui etiam eodem tempore cum VVigando Monacho negotium ex eadem controverſia. Meminit hujus innovati Pariſienſis decreti Salyus, qui addit ex Roberto Gaguino ſub idem tempus plures alios Ioannem Thomam, Adamum Sueſſionæum, Gaufridum de S. Martino, Ioannem Adamum, Petrum de Canchro, Ioannem Nicolai, & Petrum de Cheria ad retractandam minus piam ſententiam publicè adactos Lutetiæ, ut excitati tumultus conquieſcerēt, quos quidem

Trith. ad an. 1497.

Trith. in Chron. ad an. 1499. & 1501.

Saly. ~~f. 7.~~

omnes

omnes fuiſſe Dominicanos ex ipſa narratione colligi poteſt.

VII. De ſcandalis, & turbis Germaniæ nihil adhuc dictum eſt: ſubnectamus hic breviter Laurentij Surij Carthuſiani verba ex Commentario rerum geſtarum Superiore ſeculo: *Eodem Anno apud Bernates in Helvetia quidam Inſtituti Dominicani inconſultò admodum ac temerè oppugnantes Immaculatam Virginis Conceptionem, cœperunt etiam commentitijs quibuſdam miraculis, & viſionibus ſuam apud vulgus opinionem tueri. Abuſi adhoc erant quodam ſimplici fratre, qui tamen rem omnem produxit in lucem: nonnullaque alia egerant, quæ viros graves, & Religioſos minimè decerent. Sed quia præpotens Deus Matris ſuæ iniurias haud facilè ſinit inultas abire, Bernates Zelo permoti (quippe qui id laudis eximiæ iam tunc referebant, quod eſſent ultores egregij iniuriarum Matris Dei) Lauſanenſem Epiſcopum, ut in eos inquireret ſunt hortati. Facta eſt inquiſitio, & rei veritate compertâ, quatuor primarij Fratres Dominicani degradati ſunt, & inde flammis exuſti.* Hæc ad verbum Surius; quibus priuſquam in peculiari §. lucem afferam mutuatam ex illo vivicomburio, claudo hunc §. in gratiam lectoris annotatione Authorum, qui de turbis, & ſcandalis ob hanc controverſiam per minùs piè ſentientes excitatis, ſcripſerunt.

Sur. in Com. ad ann. 1509.

VIII. Scripſerunt, quantum obiter advertere potui de tumultibus, & ſcandalis propter ſententiam minùs piam exortis in varijs locis varij authores. De ſcandalis in Gallia Iacobus Ep. Chriſtopolitanus in Magnificat ad illa verba: *Quia fecit mihi magna.* Ambroſius Catherinus Dominicanus lib. 2. de Concept. perſuaſ. 19. ubi enarrat quid acciderit Avenione Anno 1322. Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis Epiſt. ad ſtud. Collegij Navarr. To. 1. Robertus Gaguinus lib. 9. de geſtis Franc. à fol. 189. Antonius Corduba q. 44. §. *Noverint Univerſi.* Ægid. de Præſentatione lib. 3. de Præſervatione Virg. q. 6. a. 4. §. 2. n. 4. Ioann. Major in cap. 1. Lucæ. & in 3. d. 3. q. 1. Valſinghanus. Urſinus. Salyus. Trithemius ſupra citati: & alij, quorum ſparſim in hoc Opere mentionem facio.

De ſcandalis & turbis Italiæ ſcripſerunt Rodulphus lib. 2. hiſt. Seraphicæ. Franciſcus Soſa Epiſcopus Oxomenſis in Defenſorio Orationis Mexiæ de la Cerda. Ambroſ. Catherinus Dominicanus cit. VVadingus Legat. ſect. 3. mihi pag. 378. Buſtos &c.

De ſcandalis Germaniæ Trithemius in Chronico Spanheimenſi ad annum 1494. ejuſque Diſcipulus Paulus Lan-

Digitized by Google

gius in Chron Citizen, ad annm 1509. Nicolaus Baſelius in Additionibus ad Surium Anno 1509. Continuator Chronici Palmerij. Martinus del Rio Diſp. Magic. lib. 4. q. 3. §. 4. Anonymus de quo inf.

De ſcandalis Hiſpaniæ Petrus Montius ad Iſabellam Catholicam: Ludovicus de Las Caſas Tr. de Concept. Abulenſis Parad. 1. c. 21. Lucas VVadingus ſup. cit. Ferd. Salaz in Præfat. Defenſio. pro Immac Concept. Ioan. de Pineda peculiari Opuſculo de Privil. Reg. Vincentius Iuſtinianus. Soſa Epiſcopus Acernenſis. Torres lib. 4. c. 2. Petrus Oieda c. 8. Raymundus Lullus Tract. de Concept. Hieron. Huerta fol. 49. Lezana c. 22. Miranda. c. 78. Porren. c. 12. Tamaius de Salazar ad annum 1395. Maraccius. Calderon. &c.

§. II.

Immaculatæ Conceptionis veritas ſtabilitur ex elucidatione eventûs paulò ante n. 7. relati à Surio.

QVæ Laurentius Surius intrà parietes ſuos obiter fortaſſe audierat, non potuit ſatis clarè ſuis inſerere Commentarijs: ego hic occaſionem nactus (cum omnem ſtudeam movere lapidem ad PP. Prædicatores noſtræ aggregandos ſententiæ) manifeſtandi, quantum ipſimet Patres Soliditatis ſe habere putent in opinione, quæ eſt noſtræ, id eſt piæ, contraria; cùm ad fraudes convertantur, non poſſum intermittere, quin paucula decerpam ex libello impreſſo eodem Anno, quo apud Bernates Tragœdia acta eſt 1509. ut quæ Surio abſenti, & fortè non omnia relata credenti exciderunt, ab eo, qui præſens ſpectator aderat, licet nomen ſuum celaverit, intelligamus.

I. Inquiſitioni, quæ (ut habet Surius) Zelo Bernatum impetrata eſt, Iulij Papæ II. authoritatem interveniſſe annotavit hic Author, cujus geminum exemplar cum figuris omnem Tragœdiam exprimentibus aſſervatur in Bibliotheca Academica

Digitized by Google

Viennæ Auſtriæ. Quatuor illi, quos Surius primarios appellat, Dominicani degradati, fuerunt Prior, Supprior, Lector, Cuſtos. omnes quatuor vivicomburio extincti. Addit ad longum fuſam narrationem, quomodo prædicti quatuor, fratrem quendam Laicum ſui Ordinis fictis apparitionibus deceperint, & miraculis ſimiliter confictis ſententiam aſſerentem, quod B. Virgo ſit in peccato originali concepta confirmare voluerint. Item, quod Frater Laicus impoſturâ animadversâ; utpote, quem per medicamenta quædam toto corpore rigidum, & ſtupidum ſæpe reddebant; imò & veneno extinguere voluerunt rem omnem propalaverit: ac deinde Legato Apoſtolico, ac Ordinario Diœceſano, juridicè examinatus, enarraverit. Demùm, quod illis quatuor primarijs de mandato Iulij Papæ exuſtis, reliqui contrà Sedem Apoſtolicam clamare non erubuerint, & in vulgus ſpargere: Fratribus ſuis exuſtis factam eſſe injuriam, illos pro veritate occubuiſſe, adeoque Martyres cenſendos. Sed ne iſta ego ex meo ingenio (quod certè ab omni amarore erga PP. Prædicatores alieniſſimum eſt) excogitare videar, depromam paucula ex prædicto libello.

II. In ipſo libelli frontiſpicio hunc lego titulum: *De quatuor -- Ordinis Prædicatorum de Obſervantia nuncupatorum, apud Suitenſes in civitate Bernenſi combuſtis Anno* 1509. Additur deinde hic verſus

Concepta eſt Virgo primi ſine labe parentis. Poſt Præfationem aliud carmen longiuſculum ſequitur, quod conſultò prætereo, quia nimis acre.

III. Dedicatoria Epiſtola eſt ad Senatum, & Magiſtratum Bernenſem, in qua circà initium laudat Bernates, quod pro veritatis inveſtigatione nullis ſumptibus pepercerint, quod Ordinarium ſuum Aymonem ad inquirendum de facinore provocarint, SS. Sedem Apoſtolicam conſuluerint, & addit hæc formalia: *Iulius II. Pontifex Maximus, grave hoc vitiorum contagium ingruere, atque graſſari proſpiciens &c. Tenet me extaſis, quando rem nefariam, non dico à Chriſticolis, nec à Religioſis; ſed ab his, quos Obſervantes aiunt &c. cernimus fuiſſe patratam. O Deus polluerunt templum ſanctum tuum viri domeſtici tui: qui te oſculantur, tradiderunt te &c.*

Ad Patronum redeo (Pontificem) *qui tantam ſedare cupiens perfidiam, hominem miſit, & rerum & exemplorum peritiſsimum Achillem Graſsi Caſtellæ Pontificem benè meritum. Et verè arbi-*

tratu meo adverſus tantam Græcorum luxuriam, moleſtiam, pugnare nonniſi Achilles mittendus fuerat &c. At nunc deleta Troia & igne conſumpta profugi Teucri mendacia ſpargunt, S. Sedem Apoſtolicam contaminant, Achilli convitiantur. Nam illos quatuor combuſtos Martyres eſſe, hoc eſt teſtes veritatis, apertâ voce ementiuntur, à S. Sede Apoſtolica iniuſtè damnatos, ab Achille nequiter iudicatos, à Bernenſi Senatu potentiâ detentos &c. Et plures lineas ſubdit:

O Troiani mendaces, Virginem tam ſacram audetis, ut honori proprio detrahat, quod ſit in peccato Originali Concepta, inducere, & de ſe teſtimonium præbere falſitatis? &c.

Sacramentum Corporis Chriſti, quo non eſt ſacratius ullum, depingere, veneno practicare toxicum &c. non timuiſtis &c. plura ſimilia in Dedicatoria, ubi intellige, quod poſtea fusè narrat; quâ ratione unus illorum Impoſtorum Laicum fratrem adduxerit ante altare, & ſtatuam B. Virginis; ex cujus ore per ſiringam ipſe retrò ſtans loquebatur, & teſtimonium præbebat falſitatis, quod B. V. ſit in originali peccato Concepta, quaſi ipſa ſe talem profiteretur. &c.

IV. Capitis I. Titulus eſt: *Opinio Minorum omnibus acceptior, & magis pia, de munda Conceptione.* Cap. II. *Fratres Minores in opinando nunquam fuiſſe pertinaces.* Cap. III. *Admiranda ſeu perverſa quorundam Pſeudo Prædicatorum pertinacia. &c.*

Sequentibus porrò capitibus fusè narrat, quomodo illi quatuor fratrem Laicum ſimplicem fictis apparitionibus deceperint, dum unus illorum in veſtitu Comico B. Virginis alter in veſtitu Angeli noctu in cubiculum Fratris Laici ingrediebatur; & miraculis ſimiliter confictis voluerint ſuam ſententiam confirmare. Et demum quomodo impoſturâ detecta Frater examinatus omnia patefecerit Apoſtolicis Commiſſarijs, & Diœceſano, illique quatuor impoſtores de mandato Iulij Papæ II. degradati, civili Magiſtratui traditi, & publicè exuſti ſint. &c.

V. Cap. 12. recenſet revelationes, quas faciebat P. F. Doctor Stephanus, qui ſe ſpiritum fingebat, & linteo inſutus nocte cubiculum fratris Laici ingrediens, fictâ voce loquebatur inter alia:

Revelatio 3. Frater ſancte, ſcito hunc (ſic loquebatur F. Stephanus) *Ordinem noſtrum præ cæteris omnibus eſſe approbatiſſimum: omnemque Ordinis noſtri doctrinam fundatiſſimam, ſolidiſſimam, & veriſſimam: quamvis certi fratres aliarum Religionum invidiâ permoti*

moti eam certis in locis credidêre ſuſpectam. Quare ex illis plurimi pœnas iam luunt Purgatorij. De opinione Conceptionis Mariæ Virginis loquor, quam D. Thomas in originali peccato conceptam eſſe Spiritu ſancto edoctus deſcripſit. Cui doctrinæ ſanæ, & Sanctorum ſententijs conſonæ Fratres Minores uſque nunc adverſati ſunt, noſtris Fratribus contradicentes &c. Sed tu firmiter crede, nec te moveat Minorum fallax opinio, Virginem Mariam in originali Conceptam, cum naturalis filia Adæ fuerit.

IV. Revelatio 4. *Ideò benedicte Frater ſcito ob id hanc civitatem Bernam perituram, ruituramque penitùs, & à terra (divina id ultione volente) abſorbendam: quod non expelluntur hinc Fratres Minores, qui Sanctis noſtris oppoſitum docent; opinione mendaci Virginem Glorioſam adornant.*

Revelatio 5. *Notum inſuper tibi facio beate Frater Alexandrum de Ales vulgò doctum virum in Purgatorij pœnis detineri, ob id quod veritatis opinionem: Virginem videlicet Mariam originali delicto fuiſſe obnoxiam reliquerit, aliorumque ſui Ordinis FF. Sentimento contra Sanctorum opinionem adhæſerit. Ioannem verò Scotum, cui Epitheton Subtilis finxerunt, in eiſdem pœnis cruciari ego ipſe conſpexi, quãdo ob mea demerita etiam ipſe detinebar; quem mox cognovi divinâ mihi clementiâ concedente: eam ob cauſam, quod ipſe Fratribus Minoribus cauſam præbuerit occaſionemque opinionem illam publicè, & manifeſtè fateri: palàm prædicare & docere procaciter. &c.*

VII. Capite 14. P. F. Doctor Stephanus Fratri Laico literas commendat, in quibus puncta ſcripta erant, ad quæ ſpiritus (id eſt ipſemet P. F. Stephanus) juberetur reſpondere, ſi denuò compareret. Punctum tertium ſeu quæſtio erat: *Si B. V. Maria originali peccato fuerit obnoxia, aut mundè concepta.* Quarta quæſtio: *Quiſnam ſit ille vir ſanctus, de quo ſuprà ſpiritus mentionem fecit; qui ante 30. annos ad hoc fuerit à Deo ordinatus: quod feſtum Conceptionis Immaculatæ deleret. &c:* Quinta quæſtio: *Quiſnam ille ſit de Ordine Fratrum Minorum Doctor famoſus, quem in Purgatorij pœnis ſpiritus retulit detineri, cuius cauſa fuerit & occaſio, quod opinionem illam inducere conatus ſit quod B. V ſit ſine peccato originali concepta.* Sexta quæſtio: *Vtrum doctrina D. Thomæ Aquinatis Deo foret accepta: non obſtante quod Fratres Minores eam in pleriſque locis arbitrati ſunt ſuſpectam, & à veritate exorbitantem.* Septima quæſtio: *De S. Bernardo mota eſt: quem poſt mortem ſuam cum macula in pectore ferunt apparuiſſe, eam ob cauſam,*

Digitized by Google

ſam, quod Virginē MARIAM in originali peccato fuiſſe conceptam crediderit: ſi verum ſit eum ita viſum, an fortaſſe ab æmulis confictum. Octava quæſtio: *De veſpis, quæ ad ſepulchrum S. Bonaventuræ apparuere poſt illius mortem, eoquod & ipſe pœnam ſolverit opinionis Fratrum Minorum de Conceptione Virginis Mariæ, quam tenuit & ſcripto approbavit. &c.* Subdit Author:

Vide perchare Lector &c, Non credo tam ſimplicem Lectorem aliquem futurum, qui per has quæſtiones non cognoſceret quærentis perverſitatem.

VIII. Capite 24. enarrat 20. puncta quæ faſſus eſt in tortura Frater Laicus, cui fiebant apparitiones per quatuor impoſtores. Ibi:

Punctum 15. eſt: *Omne negotium contra Minores excogitatum eſt, & in Conceptionem Immaculatam Glorioſæ Virginis Mariæ, ut deleretur.*

Punctum 16. *Quod ego dixi civitatem Bernenſem ſubvertendam propter Fratres Minores, & propter eorum opinionem de Conceptione B. Mariæ Virginis, juſſus ab eis omnia dixi.* Dicebat Frater Laicus in tortura. Claudit denique Author libellum:

Movit merem veram ſummariè deſcribere, ne tam nequiter S. Sedes Apoſtolica de innocentium oppreſſione proclametur & accuſetur. Sacro Prædicatorum Ordini nihil intulimus injuriæ, aut contumeliæ. Mendacij Prædicatores, & Sedis Apoſtolicæ contemptores ſumus perſecuti. Vale Lector amice, moneatque te hæc infelix, & miſeranda hiſtoria, Sacratiſsimam Virginem MARIAM abſque omni delicto parentum credere conceptam fuiſſe.

Adderem plura; ſed etiam hæc cum horrore quopiam excerpſi: minutiora videlicet, ommiſſis gravioribus; eo fine, ut conſtet, tam debilia eſſe illius ſententiæ argumenta, quæ Deiparæ Originalem maculam appingit; ut veris ac ſinceris deſtituta fulcris, fraudibus & deceptionibus ſe tutari conetur. Et cum talia modernis Patribus Prædicatoribus nota fortaſſe non ſint, quia à majoribus diligenti induſtriâ ſupprimuntur; ſaltem hinc agnoſcent, qualem aliqui ex ipſis propugnent ſententiam, & S. Thomæ adſcribant.

Digitized by Google

§. III.

Immaculatæ Conceptionis veritas ſtabilitur ex nonnullis paſſionatis propoſitionibus, quas auſi ſunt imprimere aliqui oppoſitæ ſententiæ ſectatores.

I. INter effectus oppoſitæ ſententiæ, illius nempe, quæ communiter appellatur Thomiſtarum (licet non ſit niſi aliquorum abundantium proprio ſenſu) meritò etiam recenſeri debent dicta, & propoſitiones impreſſæ, quæ pias aures ita offendunt, ut ſcandalicent. Et quis non credat illam doctrinam minùs habere probabilitatis, quam pauculi aliqui paſſionato zelo ita propugnant, ut nec Apoſtolicæ Sedis authoritatem, nec Conciliorum curent aut reſpiciant. Primus ſe offert Vincentius Bandellus ſive de Caſtro-Novo, cujus hæc ſunt oracula dudum eructata.

Bandell. de Conc. c. 38. p. 1. *Poſitio quæ dicit oppoſitum, ſcilicet B. Virginē nō habuiſſe peccatū Originale, non eſt pia ſed impia, quia contradicit Spiritui ſancto.* Quis non obſtupeſcat! Alibi ait; *Idem c. 40.* *Perſonæ quibus factæ ſunt revelationes de Virginis Mariæ immunitate à peccato Originali, ſunt perſonæ ſuſpectæ, carnalibus vitijs deditæ, nihil in ſe ſpiritualitatis oſtendentes.* Revelatum eſſe hoc myſterium S. Brigittæ conſtat ex dictis libro I. Operis, & hoc ſcivit Bandellus, & tamen!

Band. cit. p. 1. c. 41. II. Idem Bandellus iterùm: *Qui audiunt prædicantes B. Virginem fuiſſe conceptam ſine peccato originali, dant eis occaſionem peccandi, quia dant eis occaſionem dicendi mendacium, & pravè exponendi ſacras Scripturas, & falſa miracula confingere, à quibus malis retraherentur ſi non haberent auditores.* Conferantur hæc & opponantur dictis ſuperiore §. & conſtabit, quæ pars falſis utatur miraculis ad ſuam ſententiam approbandam. Pergit verò Bandellus: *Idem P. 2. c. 1.* *Dicere Beatam Virginem non fuiſſe in originali peccato conceptam eſt valdè impium, & temerarium.* Rurſum ait: *Miracula, quæ fiunt pro Conceptione fiunt à Dæmone, quia Dæmon ut diviſionem ponat inter ſervos Dei, & errorem nutriat in Eccleſia*

cleſia Deo permittente; ut qui in ſordibus eſt, magis ſordeſcat, ad invocationem Conceptionis ſanat aliquas infirmitates. Hic nolit velit fatetur Bandelus ad invocationem Conceptionis ſanari infirmitates, licet hanc gratiam curationis attribuat Dæmoni, neſcio ex qua vel cujus revelatione: putem quod Fr. Stephanus infutus linteo illi apparuerit, & dixerit per Dæmoē fieri miracula pro Conceptione, quæ nos aſſerimus, & nobiſcum Iacobus de Voragine, Claudius de Rota alijque Dominicani meliùs ſentientes, facta eſſe virtute Divinâ.

III. Nolo hic referre, quod noſtram ſententiam, quæ pia eſt, vocaverit Bandellus *Dogma Diabolicum.* ad alios propero, ejuſdem farinæ. *Fuit qui diceret* (Dominicanus) *in magno populi concurſu, ea qua graviſſimi Magiſtri & Doctores cuiuſdam Academiæ de Conceptione Immaculata prædicaverunt, technas eſſe, & chymæras.* verba ſunt Legati Hiſpanici ad Summum Pontificem apud VVaddingum. Item: *Eſt qui irreligioſè, & pro contemptu dicat (quod licet verum eſſet, pro inſultantis vel exprobrantis modo aures perterritat) nullam fuiſſe Virginis Mariæ in ſua Conceptione à cæteris mulieribus differentiam. Imò & contumelioſiùs addidit, non fuiſſe melioris conditionis ſanctiſſimæ Mariæ, quàm ſpurciſſimi Machometi conceptum.* O dignum viro Religioſo dictum! Horrenda hæc expoſita ſunt per Epiſcopum Carthaginenſem Romæ coram Summo Pontifice Paulo V. in Legatione Regis Catholici, uti VVaddingus recenſet, & effecerunt ut adverſarijs perpetuum indiceretur ſilentium.

VVading. in Legat. ſect. 2. mihi pag. 95.

VVading. cit.

IV. Cum ſolo Bandello putabam mihi eſſe aliquid diſcordiæ, verùm dum hoc Opuſculum prælo ſubijcio incido in libellum Venetijs impreſſum Anno 1585. Notate quæſo tempus mei PP. Prædicatores; & forte ſæpius poſtea eſt reimpreſſus, cum hoc titulo;

Cæleſtis ac divini omnium præclariſſ. Concionatoris R. P. Gabrielis de Barletta Almi Ordinis Prædicatorij, ſacrarum literarum ſolenniſſimi Profeſſoris, Elegantiſſimum Sanctuarium.

Hoc perlecto titulo divinum quid exſpectabam de Immaculata Conceptione, ſed en quid ait Barletta? *Id quod maximè reſiſtit fidei noſtræ, eſt impium & crudele, & omninò non tenendum, imò reſpuendum; quia eſt reſiſtere Spiritui ſancto: ſed dicere B. Virginem fuiſſe ſine peccato originali conceptam, eſt reſiſtere fundatiſſimæ fidei. Igitur &c. minor probatur Aug. in 5. lib. contra Iulianum: Omnes homines vulneratos eſſe peccato protoplaſti Apoſtolus*

Barlet. ſerm. de Concept.

ſtolus approbat cùm dicit: Omnes enim peccaverunt, & egent gratia Dei. dicendo omnes nullum excepit. &c. Hæc eſt prima Concluſionis probatio apud Barletam. altera eſt: *Contradicere ſacræ Scripturæ eſt erroneum, & impium, ut dicitur in Decr. di. 9. cap. Ego ſolis. c. Quis neſciat &c. Sed dicere Virginem fuiſſe conceptam ſine peccato originali, eſt contradicere ſacræ Scripturæ, igitur fuit concepta &c. Quid dicis ô Paule Ro. 3. Omnes peccaverunt. & cap. 5. Per unum &c. Super quo Auguſt. Dicendo omnes nullum excepit, quin imò totum genus declaravit humanum.* Hæc & plura ſimilia diluuntur facilè ex dictis libro I. hujus Operis Fund. 3. & 4. hic ſolùm vos alloquor mei PP. Prædicatores, qui Ordinem veſtrum ceu Moderatores dirigitis, qui præeſtis, & leges fertis; & quæro an vobis curæ ſit Concilium Tridentinum? quod de hac materia loquens ait: *Obſervandas eſſe Conſtitiones fel. record. Xyſti Papæ IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat.* Quid porrò Sixtus in Conſtitutione edita Anno 1481. quæ incipit *Grave nimis?*

Trid. ſeſſ. 5. dec. de orig. Conſtit. Sixti IV. Grave nim.

Sicut accepimus nonnulli diverſorum Ordinum Profeſſores ad prædicandum Verbum DEI in diverſis civitatibus &c. ad populum publicè affirmare hactenus non erubuerunt &c. omnes illos, qui tenent & affirmant eandem Glorioſam & Immaculatam Dei Genitricem Virginem Mariam, abſque peccati Originalis macula fuiſſe conceptam, hæreticos eſſe &c. ac huiuſmodi eorum prædicationibus non contenti confectos ſuper his aſſertionibus libros in publicum ediderint: ex quorum prædicationibus & aſſertionibus non levia ſcandala in partibus illis in mentibus Chriſti fidelium ſunt exorta. &c. Nos igitur huiuſmodi temerarijs auſibus, & perverſis, ac à veritate penitùs alienis aſſertionibus ſcandalis &c. obviare volentes &c. huiuſmodi aſſertiones &c. editoſque deſuper libros prædictos id continentes authoritate Apoſtolica &c. damnamus &c. excommunicationis ſententiam, & æternam maledictionis pœnam eoipſo incurrant. Quodſi proinde Vobis Concilium Tridentinum & Conſtitutiones Sixtinæ curæ ſunt; & Veſtri Ordinis Patres Venetijs libros imprimendos cenſere ſolent, cur quæſo paucis annis poſt Concilium Tridentinum Barletam imprimi permittitis, qui ſæpenumero ſententiam noſtram (cujus patrocinium ſuſcepit Sixtus IV.) temerariam, impiam, erroneam appellat? an fortè minus ſonant hæc epitheta quàm eſſe hæreticum? Sed motos præſtat componere fluctus. Scio hæc Vos non agere, qui verè Prædicatores eſtis, quia peculiaribus obſequijs Mariæ devincti:

ſi

ſi qui ut Barleta ſentiunt aut ſcribunt, hos nego eſſe veros Prædicatores. Phariſæi ſunt, & ſepulchra dealbata. ſed iterum motos præſtat componere fluctus. Culpam conjicient fortè in Typographos, qui inconſultis Cenſoribus libros edunt, ſed cur Bandellus poſt Sixtinas Conſtitutiones ipſe ſui cenſor ſimilia non ſemel, non uno in loco edidit? Anno 1501. prodijt ejus libellus de quo ſup. Venetijs. Anno 1512. denuò prodijt Mediolani. Et demum Anno 1520. curâ cujuſdam Patris Dominicani, qui Opuſculo præfixit Epiſtolam ad Fratres ſui Ordinis, nomen tamen ſuum, & locum impreſſionis prætermiſit. Hæc Typographis imputari non poſſunt.

§. IV.

Immaculatæ Conceptionis veritas ſtabilitur ex Zelo Hiſpanorum pro ejus titulo.

ADjungo antiquis recentia, quæ mihi communicata ſunt à veris gravibus, poſteaquam præcedentia in ordinem redegeram. Nec unum jota hic addam, ſed prout accepi verbatim ponam:

Hiſtoria popularis tumultûs Madritenſis die 23. Novembris Anno 1652. excitati ad tuendum decus Immaculatæ Conceptionis B. Virginis, ex literis Regij cuiuſdam Miniſtri, Madrito in Auſtriam miſſis, ſub dato 27. Novemb. eiuſdem Anni.

Eſt Madriti domicilium Dominicanorum, cui vulgò nomen Collegij de Atocha, ubi inclyta miraculis imago Deiparæ, quam vocant Dominam noſtram de Atocha, publicâ religione colitur. Contigit autem menſe Auguſto ſuperiore, ut oborto incendio, & templum Atochianum, & Cœnobium deflagraret; ſubducta autem flammis ſacra imago, ad Monaſterium SS. Trinitatis deportaretur. Sed brevi reædificatâ eodem loco ædiculâ, placuit Patribus Dominicanis venerandam ſtatuam, in antiquam ædem reſtituere. Factum id perquam honorificè, & ma-

ximo populi concurſu per octonos dies,adhibitis Regijs quoque ſymphoniacis; nec defuêre per octem ignes feſtivi: ſed felicem totius feſti decurſum,octavo d.e turbulentus exitus excepit; ſacros enim conventus terminaturi Muſici Regij, conſuetâ clauſulâ, qua ſanctiſſimi Sacramenti, & *Virginis ſine labe Conceptæ* laudes decantare ſolent, finem facere parabant; reclamant illicò Dominicani; Cantores contrà graviter indignantur, & in propoſito perſiſtunt; nec loci reverentia detenti gladios nudant; dum tandem cohibitis adverſarijs, uſitatum ſuum carmen proſequuntur. Inde regreſſi ijdem Cantores, ut injuriam ſuæ pietati illatam ulciſcerentur, & Patribus Atochianis ægrè facerent, chartam nigrore tinctam, hiſcè albis characteribus inſcribunt, *Maria Sanctiſſima Concepta ſine peccato originali,* quàm deinde templi foribus affigunt. Illuxerat poſterus dies 23. Novembris tragœdias daturus. Hærebat valuis epigraphe à muſicis foribus affixa; propè adſtabat quidam è Dominicanis ſubtriſtis; quem de via conſpicatus puer 12. forte annos natus illac tranſiens, & amphoram uinariam manu geſtant accedit; atque hominis mœrorem è vultu conjectans, quid inquit animo verſas pater? haud dubiè *Sine originali concepta eſt.* cui Dominicanus: perge ceptum iter inquit, atque apage vilis mendicule. tùm puer convitio nil turbatus reponit; ita eſt Pater tametſi tibi doleat, *Sine peccato originali concepta eſt;* laceſſitus eâ confidentiâ Dominicanus in jurgium erumpit; puer ſtrenuè reſponſat: fit clamor, & ad clamorem ingens concurſus, fremunt omnes contra Dominicanum, & pueri cauſam tuentur. Exploſus ille, & contumeliæ impatiens in ſacellum ſe recipit quæſiturus aliquid,quo muſicorum gramma à foribus revellat; hic ille cannam nactus ad veſtibulum templi redit. Tum ſortè in ædicula orabat miles Hiſpanus, qui ex Dominicani vultu aliquid intemperiarum ſuſpicatus, ſurgit, & ſubſequitur, mox illum arundine revellere molientem ità compellat; quid agis pater? at ille, id ipſum quod tu vides: hic verò acriter excandeſcens arma expedit, & ſtricto enſe vim parat, per Sancta DEI jurans, non paſſurum ſe, ut id perficiat. Inclamat Fratrum opem Dominicanus: prodeunt illi, & militem arcent, ſed non illius, neque populi voces clamantis *Subijciendas eſſe Monaſterio faces, iam illud nuper unà cum templo arſiſſe in clarum irati Numinis argumentum; nunc etiam Monachos ipſos, qui cœleſti plaga non reſipuiſſent, ſimul concremandos, &c.*

Dum

Digitized by Google

Dum hæc geruntur multi de primaria nobilitate, illuc remore exciti accurrunt, cauſamque tumultus inquirunt: quâ intellectâ ſæviunt ipſi, cœteris atrocius; queruntur: *Hiſpaniæ tantùm dedecus inuri; cui probrum ſit Deiparæ Maieſtatem imminui ab illis, quorum parens, & conditor Hiſpanus fuiſſet; ſi quid conſimile alij Religioſi tentaſſent, continuò ab his ipſis de hæreſi poſtulandos.* Supervenêre itidem quatuor Religioſi; duo Franciſcani, unus Benedictinus, & alter Hieronymianus; qui omnes ardenti oratione pium concitatæ plebis ardorem adauxerunt. Poſt diuturnos fremitus, poſtremò de communi conſilio ſtatuunt facinus ad inquiſitionnem deferendum: intereà tamen, ut ſuum Virgini conſtaret decus; Optimates, qui aderant ad vicinam librarij officinam ſe conferunt, titulumque violatum ſuâ manu inſtaurant, prægrandibus literis novæ tabulæ illud ipſum lemma, quod, detractum fuerat inſcribentes: *Maria, Sanctiſſima ſine peccato originali Concepta.* protinùs hanc inſcriptionem foribus ſacelli reddunt, evaginatiſque gladijs minaciter interdicunt, nè quis deponere attentet, ni ſibi malè conſultum velit. &c. Hæc inter quintam & ſextam veſpertinam geſta cùm eſſent, adij ego ipſe certaminis locum circa octavam, ut de toto actu accuratè certus forem; necdum relanguerat tumultus, repleverat publicam viam confectiſſima multitudo Cardinalem Toletanum operiens, qui advenire dicebatur: plurimi autem è turba Religioſum illum, qui matutino tempore Muſicorum titulum refixerat, ad ſupplicium depoſcebant, atque in Cœnobium erumpere nitebantur: reſponſum eſt à cœteris Dominicanis: *eum eſſe Ædituum, hominem laicum, illiteratum, ineptum, biennio non ampliùs Religioni mancipatum, & iam alio migraſſe.* Surdis hæc canebantur; quare ne fores effringerent ab octava ſerotina ad ſecundam matutinam ſtetere pervigiles penè omnes Dominicani præforibus domûs; ut ſui reverentiâ vim arcerent. Verùm eodem tempore ad ſacelli portam alio ludo ludebatur; valvæ poſtes, & omnia circum, ita confeſtita ſunt epigrammatis, ſententijs, & emblemmatis, nil ut vacui ſupereſſet. orta luce 24. Novembris confluxêre tota ex urbe ſpectatores ad conſiderandam affixionem, & 25. Novembris poteſtate Superiore decernitur, ut illicò adimatur Patribus ſacra imago, & ad Moniales deferatur, tùm demum illi eo nuntio conſternati nec minora pericula veriti feſto *Deiparæ Conceptæ* brevi celebrando cedendum cenſuerunt publicæ populi pietati. Invitant ergo

Digitized by Google

Symphoniacos rogantes, ut hymnos vernaculâ linguâ de *Immaculata Conceptione* populo audiente concinerent: venêre Muſici, & cum illis è civico Magiſtratu nonnulli, quorum poſtulatu ipſi, & Dominicani hinc, atque hinc in pſallentium ſubſellijs ſæpius decantarunt ſolemne illud Hiſpanicum acroama, *Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum, & puriſſima Virgo Concepta ſine macula peccati originalis.* & quoniam longè plures arcebantur ſacelli anguſtijs, ut ad eos quoque tàm optata lætitia dimanaret, Pater Prior Vir gravis prodijt e ſacello, & per ſtipatam turbam in medium fori venit, ubi magnâ voce inclamavit, *Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum, nec non puriſſima Virgo ſine macula originali Concepta.* Succlamauit univerſus populus: *Victoria, Victoria*, inter eos plauſus Pater Prior regrediens ſuâ ipſe manu ex ſuperliminari domûs tabulam appendit longitudine ſeptem pedum, & unius latitudine, in cujus area cœrulea literis aureis ſcriptum erat hoc lemma, *MARIA Sanctiſſima Concepta ſine macula peccati originalis.* Iuſſi ſunt prætereà, quicunque ad introitum templi ſtipem à populo corrogant in ſumptum luminarium his verbis conſtanter uti; *Date pro cera ſanctiſſimi Sacramenti, & Virginis de Roſario Conceptæ ſine macula peccati originalis.* Placuit inſuper ad rei perennitatem, eam tabulam, quam Pater Prior oſtio appenderat fortius firmare. Condicitur in decimam matutinam diei 26. Novembris. confluunt undique homines, tùm applicatis ſcalis duo Fratres Dominicani clavis ingentibus, ferreiſque fibulis ità affixerunt ut æternitati affixa videatur, & eodem tempore tubarum Tympanorumque ſtrepitu tota vicinia perſonabat, ità tempeſtas reſedit, permiſſumque Dominicanis, ut ſequenti nocte per tenebras alia programmata tollerent, uno excepto quod illi Muſicorum erat conſimile cui tamen hæc verba ad perpetuam memoriam addita ſunt: *Ne me hinc auferunto.*

CAPVT.

Digitized by Google

CAPUT III.

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS myſterium ſtabilitur ex doctrina S. Thomæ Doctoris Angelici.

PRoducturus Sanctos, & Theologos Ordinis Prædicatorum in favorem Immaculatæ Conceptionis, ordior ab eo, qui & Sãctus, & inter ſuos Theologorum Princeps eſt; qui per Aſſertiones ſuas in hac materia nonnihil obſcuras, & dubias, occaſionem dedit quibuſdam ſequacibus deflectendi ad ſiniſtram. Et quia multa ſunt, quæ in utramque partem ſive dixit, ſive dixiſſe putatur; ubi nonnulla neceſſariò præſcienda, præmiſero, illa in medium afferam; & de ipſius demum ſententia ſtatuam quod ſentio: hac annexâ in facti tutelam, quaſi neceſſariâ proteſtatione, quod iſtud ſcriptionis genus, nullius ſuaſu, aut impulſu, ex nullo ſiniſtro in PP. Prædicatores affectu (quos omnes in Domino ceu ornamenta Eccleſiæ amplector, veneror, ſuſpicio) aggreſſus ſim, & publici juris fecerim: ſed ſolius veritatis amore (quam in hujus Controverſiæ pia ſententia me citrà dubium arbitror deprehendere) ut quod ſine fictione didici, ſine invidia proximis communicem. Per hoc verò nolim quiſquam ſibi perſuadeat, me oppoſitam opinionem impugnare velle: id enim in obſequium S. Apoſtolicæ Sedis libenter, & obedienter caveo; ſed quæ producam, ut piæ ſententiæ fundamenta ſtabiliam, imitatus non paucos hujus ætatis Theologos, & Scriptores egregios, qui Mariani honoris Zelo animati, in hanc deſcenderunt arenam.

Digitized by Google

§. I.

Certa quædam præmittuntur de Operibus Doctoris Angelici.

I. CErtum eſt primò S. Thomæ Aquinatis Opera defacto non haberi integra, & ſincera; prout ab ipſomet Sancto vel Scripta, vel dictata fuerunt; ſed in multis locis depravata, variata, mutilata ſunt, quorumcunque tandem ſive injuriâ, ſive curâ malitiosâ. Certi hujus aſſerti teſtes adhibeo. 1. Varias eorundem Operum Editiones, quæ ſibi ex integro non correſpondent. 2. Graviſſimorum virorum citationes, & textus S. Doctoris, qui jam in ipſius Operibus non reperiuntur, ut infrà non ſemel conſtabit. 3. Publica Notariorum teſtimonia de integris ſententijs Immaculatæ Conceptioni faventibus expunctis, quæ adhuc in vetuſtis MSS. Codicibus leguntur, in novis impreſſis deſiderantur; prout infrà dicam, cùm de Comentarijs in D. Paulum tractabo. 4. Ipſoſmet PP. Dominicanos-quorum alij aliter Opera D. Thomæ in lucem edunt. Anno 1566. prodijt Catena Aurea D. Thomæ curâ unius Patris Ordinis Prædicatorum, cum duplici Indice, ut ſuprà retuli Cap. I. §. 2. Anno verò 1612. prodijt eadem Catena Aurea per R. P. F. Coſmam Morelles Prædicatorem Colonienſem Profeſſorem, qui utrumque Indicem prætermiſit. Plura ſimilia adducam inf. §. 26. n. 2. & alibi ſparſim. 5. Eoſdem PP. Prædicatores, qui fatentur non omnes editiones Operum D. Thomæ ſimiles, integras, & ſinceras eſſe. Ideò prædictus P. F. Morelles in Operum frontiſpicio præfigit hæc verba: *Editio nova, integro Tomo aucta; quamplurimis, quibus ſcatebat mendis, correcta.* Si cum prioribus Editionibus correſpondiſſet, non fuiſſet opus corrigere. Theologi item Romani Prædicatores in Editone Romana Anno 1570. in Præfatione ad Lectorem, inquiunt: *Reſtituimus locos quamplurimos tàm in textu, quàm in Commentarijs, qui aliàs aut inter inprimendum irrepſerant, aut etiam impreſſi non fuerant. &c.* quæ omnia arguunt defacto non haberi facilè D. Thomæ Opera integra, & ſincera, prout ab ipſo ſunt ſcripta. II.

Henriq. Caniſ. Lezana. Serran. Salaz. Nieremb.

Morell. in Oper. D. Tho.

Digitized by Google

II. Certum eſt 2. non conſtare de Operibus D. Thomæ, utrùm omnia verè ſint ipſius Sancti, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, vel alterius authoris. Ità dubitatur de Commentarijs in Geneſim, cùm illa S. Antoninus reijciat, licet Antonius Senenſis alia ſubſtituerit, quæ genuina putat. Dubitatur etiam de Commentarijs ſuper libros Machabæorum, uti obſervavit Bellarminus, & ob id Fr. Stephanus de Sampaio adjecit ſuas conjecturas, quibus probare nititur hæc Commentaria eſſe Divi Thomæ partum. Tractatum de Regimine Principum non eſſe D. Thomæ, clarè oſtendit Bellarminus cit. Dubitatur de Commentarijs in Epiſtolas Canonicas, quos commendat Fr. Claudius Spineus; alij non agnoſcunt. Dubitatur de ipſa Summa Theologica, ſi non de tota, ſaltem de 2. & 3. parte. Bellarminus cit. *Mirum*, inquit, *eſt valdè, quòd magna pars primæ ſecundæ, & ſecundæ ſecundæ inveniantur iiſdem verbis in primo & tertio libro Speculi Moralis Vincentij Bellovacenſis.* Addit deinde Vincentium non potuiſſe haurire doctrinam à D. Thoma quia Vincentius obijt Anno 1256. at S. Thomas An. 1274. ſed neque putat credibile, quòd D. Thomas Partem ſecundam Summæ ex alio Authore hauſerit. Fr. Franciſcus Garçia Ord: Prædicatorum in Vniverſitate Tarraconenſi publicus Profeſſor ait ad finem partium: *Apertiſſimum eſſe S. Thomam mutuaſſe ex Vincentio fermè omnia, quæ in duobus Codicibus de vitijs, & virtutibus Scripta reliquit.* Vnde hoc probat? *Præceſſit enim Vincentius D. Thomam 24. annis.* Quid inde? annon potuit aliquis alius poſterior Divo Thomæ totam ſummam compilare partim ex Operibus Divi Thomæ, partim Bellovacenſis? Martanellus cum Perazino ſuſpicatur nonnulla in Tertia Parte Summæ, quæ videntur contrariari Immaculatæ Conceptioni, & nominatim quæſtionem 27. Suppoſitiam eſſe, *& ab aliquo malevolo additam.* Movetur ex eo, quia antiqui Scotiſtæ cum Tomiſtis Diſputantes non meminerunt hujus quæſtionis: nec Thomiſtæ in materia Conceptionis B. V. afferebant quæſtionem 27. Tertiæ partis, ſed ſolùm in 3. ſent. diſt. 3. Hoc argumentum Peruzzini & Martanelli non videtur ſpernendum, quia ſine dubio Thomiſtæ locum illum ex Summa allegaſſent, utpote magis notum, & (ut putant) favorabilem ſuæ opinioni, ſi tunc in Summa, prout nunc circumfertur, inventus fuiſſet. Et quia argumentum univerſale eſt, poteſt æquè probare totam Summam Suppoſititiam eſſe. Vniverſim autem de Operibus D. Thomæ annota-

vit

D. Antonin. 3. p. tit. 18. c. 10.
Anton. Sen. in Præfat.
Bellarm. de Script. Eccleſ.
Spine. in Præfat.
Bellarm. in Obſerv. 3.
Garçia in Op. D. Tho.
Martan. in Spec. mihi pag. 32.

vit Fr. Coſmas Morelles in hæc verba: *In Romana Editione inter Opuſcula aliqua dubia; imò nonnulla, quæ plurimorum Doctorum conſenſu S. Thomæ doctrinam non referunt, extant excuſa.* Nihilominùs eadem ipſe reimpreſſit in Editione Antverpiana, quæ partim Moguntinis Typis excuſa eſt Anno 1612. & plura, quæ in Romana non reperiebantur, adjunxit. Quodſi igitur ipſimet PP. Prædicatores dubitant an omnia, quæ ſub nomine Doctoris Angelici circumferuntur Opera, genuina ſint S. Thomæ, quid alios de iiſdem ſentire par erit? Puto non malè concluſum iri cum Serrano Epiſcopo Acernenſi: *Non ſolùm erit dubium, quid Angelicus Doctor de noſtra ſenſerit difficultate, ſed dubium etiam erit, quid de illa ſcripſerit.* Hæc de Operibus D. Thomæ dubijs benè obſervanda ſunt, ut faciliùs concludere poſſimus, quid D. Thomas de Conceptione Deiparæ ſive ſenſerit, ſive ſcripſerit.

Morell. in Præf. To. 1. Op. D. Thom.

Sarra. de Concept. lib. 2. c. 29. n. 3.

III. Certum eſt 3. non conſtare, quo ordine D. Thomas Opera ſua conſcripſerit. Hodierni Thomiſtæ variant inter ſe, quid mirum ſi etiam ab alis diſſentiant? Theologi Romani Prædicatores, qui Anno 1570. Romæ Opera D. Thomæ ediderunt, ajunt: *Tertiam partem Summæ D. Thomas morte præventus imperfectam reliquit* quaſi ſupponerent ultimum opus ab eo ſcriptum fuiſſe Summam: propterea etiam ab alijs Summa vocatur *teſtamentum S. Doctoris.* Ambroſ. Catherinus: *Sed aiunt, quæ ſcripſit in Summis Thomas ſunt eius ultimum teſtamentum.* Magiſter Auguſtinus de Fivizano in Calce Operis: *Explanatio in Pſalmos --- quia morte vertente reſiduum ipſius Pſalterij* implere non potuit. Alius idem dicere poſſet de Commentarijs in Geneſim &c. Breviarium Romanum in feſto S. Thomæ, quod Officium probabiliter aliquis P. Dominicanus compoſuit; & eſto non compoſuiſſet; totus tamen Ordo id acceptando, jam ſentit ultimum Opus D. Thomæ fuiſſe explanationem in Cantica: *Foſſæ novæ in morbum incidit, ubi ægrotans Cantica Canticorum explanavit.* Theologi Vedaſtini Collegij Duacenſis cenſuerunt nuper Summam (ſi eſt D. Thomæ opus) à Divo Thoma compoſitam, cùm eſſet juvenis uti atteſtatur P. Scherlogus ſcribens in Cantica. Ego (ut de cœteris Operibus taceam) de Summa loquendo, ſi admittam eſſe genuinum S. Doctoris partum, perſuadere mihi non poſſum ab eo conſcriptam dum eſſet juvenis, quia & diſpoſitio melior, & tractatio exactior, & clarior phraſis in Summa eſt de plerisque materijs, quàm in ſcriptis

Cather. Op. de Concept. lib. 2.

Fiviza. ap. Mar. ſup.

Brev. lect. 6.

Scherlos in Cant. Anteloq. 11. ſect. 2.

ad

ad Magiſtrum Sententiarum. Quia verò cum Supranominatis authoribus dubito an Summa ſit Opus D. Thomæ, aut ſaltem aliqua Pars Summæ; non ſum ſollicitus indagare an à iuuene, an à Sene conſcripta ſit: Dicerem niſi contra torrentem uiderer niti Summam ab aliquo Ordinis Prædicatorum uiro docto, & fortè Diſcipulo D. Thomæ, partim ex Diui Thomæ, partim ex Bellouacenſis Scriptis collectam per modum Compendij Sententiarum Theologicarum communium ſuo tempore, quæ poſteà nullius præfixo nomine in aliqua Bibliotheca repoſita, & à poſteris reperta; cùm potior pars Operibus D. Thomæ correſponderet, ipſiuſmet S. Doctoris Opus exiſtimata eſt, & à potiori denominata. Hoc facilè contingere potuit, illâ præſertim ætate, quâ uirorum Doctorum lucubrationes magnis laboribus deſcribebantur, Typo nondum inuento, & uix unquam adſcribebantur Authorum nomina uel Collectorum: unde poſteri, qui per conjecturas nomina indagabant, non potuerunt ſemper ſcopum attingere, & uerum cujuſque libri Authorem pronuntiare.

IV. Certum eſt 4. D. Thomam in Operibus ſuis non omninò ſibi correſpondere. Teſtantur hoc ipſimet eius Diſcipuli, & ſequaces. Catherinus; *Etiam, qui inſignes Thomiſtæ habentur Capreolus, & Caietanus, fatentur ingenuè in nonnullis eum variè ſcripſiſſe; & poſterius, quæ ante ſcripſerat, retractaſſe.* Quod quidem de ſeipſo fatetur S. Doctor: ideò enim conſcripſit *Opuſculum ſeptuageſimum ſecundum De Concordantijs, in quo concordat ſeipſum in paſſibus apparenter contrarijs:* & rogat Lectores, ut ſi quis contraria inuenerit, ſequatur id, quod probabilius iudicauerit. Obtemperarunt conſilio Sancti Præceptoris Romani illi Theologi, quorum paulò ante meminimus, & quæ ipſe S. Doctor non emendauerat, uel retractauerat; ea ipſi emendare, immutare, corrigere non dubitarunt. *Curavimus itaque, ut quàm emendatiſſimè imprimerentur omnia, amotis etiam ex eiſdem Commentarijs, atque expunctis omnibus locis, iuxtà noſtri Ordinis ſanctiones qui poſt Decreta Tridentinæ Synodi Lectorem poterant detinere dubium, vel ſuſpenſum: quos videlicet, vel ipſemet Commentator vivens emendaverat, & ſi viveret, emendaſſet; vel uti diximus, falſariorum, & impiorum perfidia temeraverat.* Ex quibus iterùm apertè colligi poteſt Opera D. Thomæ non haberi de facto impreſſa, prout ab ipſo confecta fuerunt. Patet 2. aliqua loca expuncta eſſe iuxtà Ordinis Sanctiones; quæ autem illa

Cather. Opuſc. de Concept. D. Thom. Opuſc. 72.

Rom. Edit. Præf. ad 1. p.

Digitized by Google

loca ſint, non poſſim ego diuinare, niſi antiquos MSS. Codices cum recentibus impreſſis conferendo. Patet 3. à Diſcipulis aliqua emendata, & immutata; adeoque pro libitu emendantium, retentam ſententiam, quæ emendantibus probabilior uiſa. Patet 4. non omnia, quæ debuiſſent emendari poſt Decreta Tridentinæ Synodi, emendata eſſe in Operibus Divi Thomæ, prout gloriãtur prædicti Emẽdatores Romani. Reperiũtur enim adhuc loca, *quæ Lectorem poſſunt detinere dubium, vel ſuſpenſum.* v. g. *Dicendum, quòd ſecundum fidem Catholicam firmiter eſt tenendum; quòd omnes homines præter ſolum Chriſtum ex Adam derivati, peccatum Originale ex Adam contrahunt: alioqui non omnes indigerent redemptione, quæ eſt per Chriſtum, quod eſt erroneum.* Locus hic poteſt Lectorem detinere dubium poſt Concilium Tridentinum, in quo etiam Beatiſſima Virgo excipitur ab illa universali: *Omnes homines.* Et licet in Summa plerumque explicetur appoſitis Cajetani Commentarijs, quia tamen ſæpius alibi idem repetitur in libb. Sententiarum, ſaltem in his debuiſſet expungi, vel mutari, ubi non adſunt Commentarij.

D. Thom. 1. 2. q. 81. a. 3.

V. Certum eſt 5. quodſi defacto D. Thomas viveret multas ſententias ſuas mutaret; eo quod ab obitu ejus in hanc diem multæ veritates Theologicæ aſſiduo diſputantium conflictu perpolitæ, & in lucem extractæ ſint; multa argumenta nova inventa, antiqua clariùs expoſita &c. imò quædam, quæ ejus tempore diſputabilia erant, jam per Sedem Apoſtolicam definita. Hujus aſſerti ſufficiens probatio eſt ipſorummet PP. Prædicatorum confeſſio, illis verbis paulò ante adductis expreſſa; *vel ipſemet Commentator vivens emendaverat, & ſi viveret emendaſſet:* quibus non ſolùm fatentur PP. Dominicani, quodſi defacto S. Thomas viveret, aliqua in ſuis Operibus emendaret; ſed etiam; quod dum vixit, actu aliqua emendaverit: ut proinde veroſimile ſit libellum Retractationum D. Thomæ, de quo Ioannes Vitalis mentionem facit, ſuppreſſum eſſe, *in quo* (ut ait Serranus ex citato Vitali) *in particulari retractabat opinionem, quam docuerat contra Immaculatam Virginis Conceptionem.* Hoc ego ſic intelligendum putem, quòd ſe meliùs explicuerit ubi videbatur contrarius eſſe piæ opinioni; licet nuſquam verè contrarius fuerit, ut deinceps oſtendam. Cum ergò ille libellus amplius non compareat, videtur ab aliquo ſuæ opinionis tenaci ſuppreſſus eſſe. Præterire hoc loco non poſſum, quod B. Ludovicus Beltran Ord: Prædicatorum non ſolùm de S. Thoma, ſed

Rom. Edit. ſup.

Vital. Tract. de Concept. Serran. l. 2. c. 29. n. 8.

ſed etiam de alijs SS. Patribus pronuntiavit apud Vincentium Antiſtium, ait enim: *Omnes antiqui Patres, ſi modò viverent, dicerent, ſcriberentque id, quod & nos ſentimus de immaculata Regina Cœli Conceptione.* Et ſi Cajetanus conſequenter loqui velit (uti notarunt Ambroſ. Catherinus, & Ioan. Bapt. Lezana) hocipſum fatebitur, paritate argumenti inductus. Nam cùm D. Thomas docuerit: *Clericus etiamſi ſe defendendo interficiat aliquem, irregularis eſt, quamvis non intendat interficere, ſed ſeipſum defendere:* Cajetanus in Commentario ad hunc locum advertit valdè benè: *Novo iure in Clem. un. de homici. ſtatutum eſt; quod is, qui aliter mortem evitare non valens, ſuum occidit invaſorem, irregularis non eſt: quæ lex ſi tempore authoris extitiſſet, non ſcripſiſſet hoc Author.* Reſolutio iſta pluribus materiis applicari poteſt, & debet; in particulari cùm quæritur de Conceptione Deiparæ, quam ſi negavit aliquando D. Thomas Immaculatam, quando non fuit lex, & præceptum Eccleſiæ de illa celebranda, uti nunc eſt; iam nobiſcum aſſereret fuiſſe Immaculatam & Sanctam, propter legem celebrandi Feſti Conceptionis, *quæ lex ſi tempore Authoris extitiſſet, non ſcripſiſſet hoc author.* quod putatur ſcripſiſſe contra Immaculatam Conceptionem, & melius ſe explicuiſſet.

Antiſt. in Addit. ad c. ult. vita B. Ludov. Cather. Opuſc. de Conc. pag. 57
Leza. Apol. cap. 21.
D. Thom. 2. 1. q. 64. a. 7.
Caiet. ib.
Clem. un. de homic.

§. II.

Elucidatio terminorum, qui in materia de Conceptione Virginis uſurpari ſolent.

SI omnes Authores iiſdem vocibus in eadem ſignificatione uterentur, non forent tot quæſtiones de nomine in ſcholis: quas etiam in præſenti materia contingere nimis certum eſt. Prænotanda igitur nonnulla ſunt de vocum, & terminorum varia acceptione, ſi volumus veram D. Thomæ Sententiam indagare.

I. Sciendum igitur 1. nomen Conceptionis plurifariàm accipi. Et dividitur primò in paſſivam, & activam; paſſiva

 eſt

eſt illa quâ B. Virgo in utero Matris ſuæ S. Annæ concepta eſt: activa verò, quâ eadem B. Virgo DEI Filium in utero ſuo concepit. Secundò dividitur Conceptio paſſiva in materialem, & formalem: materialis eſt infuſio & receptio ſeminis virilis in matrice: quæ propterea etiam dicitur Conceptio ſeminalis; formalis eſt, corporis in utero materno organizati animatio. Diſcordant Authores, quænam ex his duabus magis propriè vocari debeat Conceptio, materialis, an formalis. Pro priore ſtat ſcriptura loquens de Berſabee: *Reverſa eſt in domum ſuam concepto fœtu. Mittenſque nuntiavit David, & ait: concepi.* Pro poſteriore ratio, quia non poteſt dici conceptio hominis ante animationem. Granadus non ſemel materialem propriè Conceptionem dici ſupponit; cùm alteram non tàm prolis Conceptionem, quàm fœtus animationem appellet. Ciſmontani econtrà vocant Conceptionem formalem alio nomine Conceptionem naturalem, & Conceptionem perfectam, & hanc volunt eſſe propriè dictam Conceptionem. Mihi placet opinio Franciſci Guerræ, qui cùm diviſiſſet Conceptionem in ſeminis prolifici comprehenſionem,& animationem fœtus, inquit: *Negari non poteſt, quòd quando dicitur humana ſeu hominis Conceptio, quamvis ſignificatum huius poſſit ſtare pro prima Conceptione, quatenus fœtus ille ad eſſe hominis, & non ad alterius animalis naturaliter tendit: nihilominùs tamen, quia non poteſt pro tunc hominis Conceptio appellari, quia in illo tunc verè non exiſtit homo, idcircò etiam ſecunda acceptio ſatis propria videtur.* Et hoc quidem verum eſt, ſi voces ſecundum ſe conſiderentur. Nam Authores (antiqui præſertim) alij aliter eas accipiunt. S. Thomas Conceptionem formalem nunquam appellavit Conceptionem (quantum ſcio me deprehendiſſe) ſed animationem, vel infuſionem animæ: hinc quæſivit *An B. Virgo fuerit Sanctificata ante animationem.* Ejus etiam Præceptor Alexander de Ales: *An poſt animæ infuſionem fuerit Sanctificata.* Et D. Bonaventura: *An caro Virginis Sanctificata fuerit ante animationem.* Ac proinde, quando antiqui utuntur voce Conceptionis, niſi per alios terminos ſe explicent, intelligendi ſunt loqui de Conceptione materiali, non de formali. Porrò formalis Conceptio alijs nominibus vocatur animatio, ut jam dictum, animæ infuſio, animæ creatio, animæ unio ad corpus, nativitas in utero. Hac voce uſi ſunt antiqui, Magiſter Sententiarum: *Vtrumque vocatur conceptus ſcilicet cùm & caro propagatur, formamque corporis humani*

2. Reg. 11.

Gran. de eſſ. pec. orig. Diſp. 3. t. 1. ſect. 2.

Guerra To. 1. lib. 1. Tract. un. Diſc. 2.

Mag. in 2. d. 31.

reci-

Digitized by Google

recipit; & cùm anima infunditur, quod aliquando etiam dicitur nativitas. S. Bonaventura ſimiliter: *ergò cum B. Ioannes ſanctificatus fuerit, quantum ad Nativitatem ex utero &c. videtur quòd Virgo MARIA non tantùm ſanctificata ſi fuerit, ſed etiam in quantum ad Nativitatem in utero; ſed nativitas in utero eſt in animæ infuſione. &c.* Hos ſecutus D. Thomas duplicem quoque agnovit Nativitatem, ut infra dicam, ubi ejus formalia proferam. Sciendum ulterius, quod Conceptionis nomen prout ſupponit pro materiali, extendatur ad uſque unionem animæ cum corpore; ita ut accipi poſſit tàm pro infuſione ſeminis in matricem, quàm pro formatione fœtus ſeu embryonis in utero (quæ conſequitur ad infuſionem ſeminis) quàm etiam pro organizatione, & proxima diſpoſitione ad animam recipiendam, & denique pro ipſa quoque animatione, & conjunctione cum corpore organizato. Nunquam autem reperire eſt apud aliquem Claſſicum authorem, qui vocem hanc *Conceptio* extenderit ad aliquod tempus, vel inſtans poſt animationem, ut rectè annotarunt Ciſmontani; hinc dicunt: *qui B. Virginem poſt animationem ſanctificatam fuiſſe docent, ſi de ordine temporis loquuntur, eo ipſo haud dubiè aſſerunt in ſua Conceptione originale peccatum contraxiſſe.* Pari ratione diſcurrendum eſt de tempore illo, quod antecedit ſeminis virilis receptionem in matrice; quia licet dicatur antecedenter proles in lumbis parentum contineri, antequam parentes conveniant; illa tamen remota ad Conceptionem diſpoſitio ſeu potentia non poteſt vocari Conceptus, ſed tunc primò vocatur Conceptio, vel Conceptus; quando conjuges ſe mutuo cognoſcunt, & prolificum ſemen in matrice recipitur: in quo ſenſu dixit Iob: *Nox in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo.*

S. Bon. in 3. diſt. 3.

D. Thom. in 3. d. 3. q. 1. a. 1.

Ciſmont. Armam. col. 257.

Iob. 3.

II. Sciendum ſecundò propter ſupradictam diviſionem Conceptionis duplex etiam ſtatuitur contractio peccati originalis: prior non eſt propriè contractio peccati, ſed cujuſdam debiti, vel cauſalitatis in Conceptione ſeminali: propterea dicitur caro infecta eſſe, maculata eſſe, ex propagatione ſeminali; & ipſum quoque ſemen immundum, infectum, maculatum dicitur, quia ut primum ſemen prolificum matrici immiſſum eſt, & formari incipit fœtus, jam habet illa maſſa exigentiam contrahendi peccati, non ipſa, ſed homo, vel anima quamprimùm fuerit unita tali carni. Et hoc eſt, quod dicit Magiſter Sent,

Mag. Sent. in 2. diſt. 31. *Ipſum peccatum dicitur manere in carne; caro igitur, quæ in concupiſcentia libidinis ſeminatur, nec culpam habet, nec actum culpæ, ſed cauſam.* Hinc vocatur etiam *caro peccati* fœtus ante animationem. Citat pro hoc aſſerto Magiſter D. Ambroſium. *D. Ambr. apud Mag. cit.* *Non habitat peccatum in anima, ſed in carne, quia peccati cauſa ex carne eſt, non ex anima; quia caro eſt ex origine carnis peccati, & per traducem omnis caro fit peccati: anima verò non traducitur: & ideò in ſe cauſam peccati non habet.* Hoc ipſum ſanè eleganter, & dilucidè expreſſit Incognitus in Pſalmos; explicans illud Pſalmi *Incognit. Pſ. 29. qui vixit Anno 1396.* *præſtitiſti decori meo virtutem.* Nam ait: *Peccatum autem duobus modis contrahitur ſcilicet Originale; ſcilicet cauſaliter & formaliter. Cauſaliter, quando ſeminaliter quis concipitur; tùm in re concepta eſt quædam fœditas, & pronitas ad malum, quæ eſt cauſa quare anima creata, & illi corpori unita, peccatum contrahit formaliter. Igitur peccatum Originale cauſaliter contrahitur in propagatione ſeminis, ſed formaliter in Conceptione hominis.* Hoc loco Conceptionem clarè ſumit in ſecunda ſignificatione. Pergit verò oſtendens quomodo Chriſtus & B. Birgo diſſimiliter immunes fuerint ab Originali peccato: *Non contraxit* (de Chriſto loquitur) *formaliter, neque cauſaliter; quia non deſcendit ab Adam per ſeminalem propagationem; & ſic habuit omnimodam innocentiam. Virgo autem MARIA contraxit cauſaliter, quia per ſeminalem propagationem concepta; ſed non contraxit formaliter, quia antequam anima eius eſſet creata, illud ſemen fuit purificatum, & ſanctificatum, & ſic anima illi unita non fuit maculata.* Illud *antequam* non debet intelligi de prioritate temporis quia tunc caro Virginis nondum erat capax ſanctitatis: ſed de prioritate naturæ, quando animabatur.

III. Sciendum 3. Tempore S. Thomæ celebrem fuiſſe diviſionem peccati originalis in materiale, & formale, quam plerumque moderni Scriptores prætermittere ſolent. Dicebant in peccato originali duo eſſe; alterum materiale, alterum formale. Materiale peccati originalis vocabant concupiſcentiam, formale verò privationem juſtitiæ originalis; materiale, dicebant ſubjectari in parte ſenſitiva, formale in voluntate vel *Mag. inf. Hugo Vict. l. 1. de Sacram. c. 7. & 26.* anima; ità clarè Magiſter Sententiarum, Hugo Victorinus, & alij coævi. Magiſtro lucem affert S. Thomas: utriuſque formalia proferamus, quia ſerviunt intelligendæ controverſiæ. Magiſtri verba ſunt: *Mag. in 2. diſt. 31.* *Non igitur ſecundùm animam, ſed ſecundùm carnem ſolam peccatum originale trahitur à parentibus. Eſt enim peccatum*

catum originale ut ſuprà diximus concupiſcentia; non quidem actus, ſed vitium. Et ſuperiore diſtinctione dixerat, rejectis aliorum de peccati originalis quidditate ſententijs: *Nunc ſupereſt videre, quid ſit ipſum originale peccatum; quod cùm non ſit actuale, non eſt actus ſive motus animæ, vel corporis. Si enim actus eſt animæ, vel corporis; actuale utique peccatum eſt. Sed actuale non eſt, non eſt igitur actus, vel motus. quid igitur? Originale peccatum dicitur fomes peccati, ſcilicet concupiſcentia, vel concupiſcibilis, quæ dicitur lex membrorum, ſive languor naturæ, ſive Tyrannus, qui eſt in membris noſtris, ſive lex carnis. &c.* In hujus textûs Expoſitione D. Thomas ſic inquit: *Originale peccatum dicitur fomes peccati &c. Hic ponuntur octo nomina originalis peccati, quorum differentia ſic accipi poteſt. Poteſt enim hoc peccatum nominari vel per comparationem ad modum, quo cauſatur in nobis; vel per comparationem ad ſubiectum, in quo eſt; vel per comparationem ad peccatum actuale, in quod inclinat: & quia per originem vitiatam in nos pervenit, ideò ex modo, quo creatur in nobis, nominatim dicitur originale peccatum.* Et paucis interjectis: *Subiectum autem, in quo originale peccatum conſiſtit, eſt homo; qui ex duabus naturis conſtat, rationali & ſenſitiva: poteſt ergo originale peccatum nominari vel per comparationem ad rationalem, vel comparationem ad ſenſitivam. Si primo modo; ſic ex parte eius, quod eſt formale in originali peccato, ſcilicet debitæ iuſtitiæ carentia, dicitur languor naturæ: ex parte verò eius, quod eſt materiale, ſcilicet inordinatio inferiorum virium, dicitur Tyrannus, in quantum per inordinationem inferiorum virium, iniuſtè, & quodammodo tyrannicè ratio in ſervitutem peccati trahitur. Ex parte autem ſenſitivæ, quæ eſt potentia organis affixa dicitur lex carnis, ex eo, quod per traductionem carnis traducitur; & dicitur membrorum, in quantum in membris completis dominatur. &c.* Hæc D. Thomas in Summaria Expoſitione Textus Magiſtri. At in Corpore ipſo clariùs adhuc: *Dicendum, quod in quolibet peccato eſt invenire aliquid quaſi formale, & aliquid materiale. Si enim conſideremus peccatum actuale, ipſa ſubſtantia actûs deordinati materialiter in peccato ſe habet: ſed deordinatio à fine, formale in peccato eſt, quia ex hoc rationem mali præcipuè habet. &c.* poſt paucula: *Sicut autem peccatum actuale conſiſtit in deordinatione actûs, ita etiam peccatum originale conſiſtit in deordinatione naturæ: unde oportet, quod ipſæ vires deordinatæ, vitium ſint, ſicut materiale in peccato originali, & ipſa deordinatio à fine ſit ibi ſicut formale. Illa autem pars, quæ per ſe nata eſt coniungi fini, eſt ipſa voluntas,*

Idem in 2. diſt. 30.

D. Thom. Expoſ. Text. 2. ſent. diſt. 30.

D. Thom. in 2. d. 30. q. 1. a. 3.

luntas, quæ habet ordinem finis omnibus alijs partibus imponere: & tunc deſtitutio ipſius voluntatis ab illâ rectitudine ad finem, quam habuit in inſtitutione naturæ, in peccato originali formale eſt, & hoc eſt priuatio originalis Iuſtitiæ: vires autem appetitus ſenſibilis, ſunt natæ recipere ordinem ad finem ab ipſa voluntate, ſecundùm quod ſibi ſubiectæ ſunt: & ideò ſubtractio illius vinculi, quo quodammodo ſub poteſtate voluntatis rectæ detinebantur, materiale in peccato eſt. Ex hac autem ſubtractatione ſequitur, quod unaquæque vis in ſuum obiectum inordinatè tendat, concupiſcendo illud: & ideò concupiſcentia, quâ habiles ſumus ad malè concupiſcendum, peccatum originale dicitur; quaſi materiale in peccato originali exiſtens. Eſt enim conſiderare materiale, & formale in actibus moralibus; ſicut in rebus artificialibus, in quibus materia de toto prædicatur; ut poſſit dici: cultellus eſt ferrum. Et ſimiliter de peccato prædicari poteſt illud, quod eſt materiale in ipſo: & per hunc modum peccatum originale concupiſcentia dicitur. Hæc D. Thomas, quibus penè ſimilia reperies in Summa. Recentiores licet ſubſcribant huic doctrinæ de materiali peccato originis; cautiùs tamen, & timidiùs loquuntur, propter definitionem Concilij Tridentini, ubi dicitur *Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.* Hinc Azor inquit, huc forte reſpiciens: *Nihil oportet in peccato originis laborare de materia, & forma diſtinguenda; quoniam huiuſmodi peccatum non eſt actus in modum cæterorum peccatorum, debitâ bonitate priuatus, aut contrà rationem admiſſus; ſed ſolùm eſt priuatio iuſtitiæ originalis, quæ debebat unà cum natura in Adami poſteros deriuari.* Bellarminus etiam nihil de hoc ſtatuere voluit, tametſi contra Illyricum agens Theologos Catholicos ità ſentientes benè interpretetur. Nos aliqua diſſerimus in Proœmio lib. I. quæ Lector videat: hic ſatis eſt annotaſſe veterum opinionem in hoc puncto; à qua multum pendent, ea, quæ infrà adducemus. Videri etiam poſſunt de hâc re Scotus. Bonavent. Alexander. Richardus. & alij veteres. ex Recentioribus Felix, & alij Scotiſtæ ac Thomiſtæ qui Magiſtros ſuos defendunt, & doctrinam eorum conciliant cum Concilij verbis, non malè meo judicio.

D. Thom. 1. 2. q. 82. a. 3.
Trid. Seſſ. 5. decr. de pecc. orig.
Azor P. 1. Moral. lib. 4. cap. 29.
Bellarm. To. 4. de amiſſ. grat. l. 5. c. 3.
Scot. in 2. diſt. 32.
Bonav. in 2. diſt. 30. a. 2. q. 5.
Richar. in 2. d. 32. a. 1. q. 1.

IV. Sciendum 4. Conformiter ad ſupradicta, apud antiquos

Alex. p. 2. q. 105. m. 2. Fel. c. 10. diff. 1. Guerra To. 1. Tr. un. Serra. lib. 1. cap. 4.

Digitized by Google

quos fuiſſe in uſu has locutiones 1: Concipi in peccato originali, eſt concipi per generationem ſeminalem eo tempore, quo parentes per concubitum ſemen miſcent ; non quod putaverint in ipſo ſemine peccatum ineſſe, ſed quia vocabant ſemen immundum, propter traductionem à progenitoribus, quam traductionem dicebant eſſe viam, vel conditionem ſine qua non, ad contrahendum peccatum originale, quando anima corpori uniretur. Hoc patet ex S. Anſelmo, qui in libro ſuo de Conceptu Virginali, & peccato Originali proponit hunc titulum: *Quod ſemen hominis dicatur immundum, & concipi in peccatis, quamvis in eo non ſit peccatum.* In articuli deinde contextu ait: *Videtur itaque ſequi, quòd aut infans ſtatim ab ipſa Conceptione habeat animam rationalem, aut quòd in eo non eſt Originale peccatum, ſtatim ac conceptus eſt. Quòd autem mox ab ipſa Conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus ſuſcipit ſenſus. &c.* Ad hanc quæſtionem ſic reſpondet: *Sæpè utique Divina Scriptura aſſerit aliquid eſſe, quando non eſt; idcircò, quia certum eſt futurum eſſe.* Ita Anſelmus; quibus verbis lucem attulit illi loco: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine!* Hanc opinionem iterum ſuſcitavit recenter, & non malè defendit Franciſcus Guerra Epiſc. Gadicen. de quo alibi. 2. Concipi in peccatis eſt concipi ex parentum libinoſo concubitu, ità ut non intelligatur peccatum afficere perſonam, quæ concipitur; ſed quæ concipit. Quo ſenſu fortè accipi poſſent illa: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Antiqui certè aliqui ſupponebant etiam legitimè conjugatos, cùm abſque libidine non miſceantur, peccare ſaltem venialiter: Recentiores etiam id fatentur ſæpè contingere, non tamen ſemper. quibus faviſſe videntur S. Fulgentius, qui docuit conjuges venialiter peccare in exceſſu libidinis. Et S. Bernardus cùm dixit: *Peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit?* Hoc planè ſenſu locutus eſt etiam Magiſter Sententiarum aſſerens carnem humanam cõcipi cum libidinoſa concupiſcentia, quæ ſemper vitium eſt, non tamen ſemper culpa. &c. D. Bonaventura huc etiam videtur reſpexiſſe, cùm vocavit carnem humanam ante animationem *Vitioſam.* 3. Concipi in peccato, vel cum peccato, ſonat idem ac concipi cum debito contrahendi peccatum originale, ut primùm anima corpori unita fuerit: quæ acceptio correſpondet primæ paulò ante adductæ. 4. Concipi in peccato eſt tunc contrahere peccatum originale, quan-

S. Anſel. de Conc. Virg. c.7.

Iob. 14.

Pſ. 50. Granad. de eſſent. peccat. & Iuſt. lib.3. ſ. 3. n. 19. S. Ful. l.6. de fide ad Pet. c. 3. S. Bern. Ep. 174. Mag. in 2. diſt. 31. D. Bonã. in 3. diſt. 3. 1. part. q. 1.

do anima corpori organizato unitur; tunc enim primò, & non ante, originalis peccati ſubjectum capax invenitur; & ob id dicit S. Thomas: *Subiectum in quo originale peccatum conſiſtit, eſt homo.* homo autem non eſt niſi quando anima corpori conjuncta, & unita eſt. Et hoc propriiſſimè dicitur concipi in peccato, vel cum peccato, quando in Conceptione formali ſeu animatione originale peccatum contrahitur, quod quidem fit in omnibus puris hominibus, ſecundum curſum ordinarium, ſive de lege ordinaria, ſeminaliter ab Adamo derivatis. cum quo ſtat aliquem ab hac lege pe Privilegium poſſe eximi & præſervari.

Caiet. 3. p. q. 27. a. 2. V. Sciendum 5. Nomen Sanctificationis uſurpari variè. Secundum Cajetanum ſumitur duplici modo propriè, & uno modo impropriè, ait enim: *Sanctificatio poteſt dupliciter ſumi. Primò ut de contrario in contrarium, de immuditia ad munditiam, & ſic conſtat quod eſt de peccato in gratiam. Secundò ut eſt de negato in affirmatum, de non ſancto in ſanctum, de non gratia in gratiam. Et ſic non ſupponit peccatum.* Vult ergò Cajetanus illam eſſe ſanctificationem proprie dictam cujus terminus ſit gratia; tanquam forma ſanctificans ſive fuerit in ſubjecto prius id, quod contrariatur gratiæ, ſive ſola negatio gratiæ. Addit deinde: *Extenditur tamen ſanctificationis nomen ad ea, quæ ad ſanctitatem præparant, vel faciunt, & huiuſmodi. Et propterea Auctor* (D. Thomas) *in ſecunda ratione hic allatâ extenſo ſanctificationis nomine utitur dicens; Quocũq; modo ante animationem B. Virgo ſanctificata fuiſſet. &c.* Agnovit igitur D. Thomas, & cum eo Cajetanus triplicem ſanctificationis modum, de quo jam dictum: primum, qui ſit emundatio à peccato præexiſtente, & collatio vel infuſio gratiæ: ſecundum, qui ſit ſimpliciter collatio gratiæ nullo præexiſtente ejus impedimento: tertium, qui ſit ſolùm præparatio ſubjecti ad recipiendam gratiam, per quam formaliter aliquis ſanctus efficitur. Porrò hæc tertia Sanctificatio poteſt adhuc tripliciter in præſenti materia intelligi; ut cùm quæritur de Sanctificatione B. Virginis in utero matris ante animationem (quam poſſibilem ſupponit loco citato D. Thomas) poteſt intelligi, vel primo præparatio quædam, & emundatio parentum, ut intelligatur adhuc in lumbis parentum ante Conceptionem ſeminalem, ſanctificata B. Virgo, ac id quod pro formando Virginis corpore contulerunt parentes emundatum fuiſſe in ipſiſmet parentibus, priuſquam conjugali actu commiſcerentur:

vel

Digitized by Google

vel ſecundo emundatio, & purificatio ſeminis in ipſo concubitû parentum B. Virginis ; ità ut mundaretur ſemen in ipſo actu conjugali : vel tertio , emundatio ac purificatio ipſius maſſæ corporeæ ex ſemine formatæ in utero materno antequam ei animia uniretur. Quocunque horum trium modorum facta fuiſſet Deiparæ Virginis Sanctificatio, fuiſſet præparatio & diſpoſitio ad recipiendam gratiam ceu formam ſanctificantem , in inſtanti Conceptionis formalis, ſeu animationis : & conſequenter verum eſſet dicere , quod ſit Concepta ſine peccato originali. Nam de ſola Conceptione formali quæritur & litigatur; quam ſi præceſſiſſet emundatio ac ſanctificatio aliqua ex his tribus modis , deberet ſubſequi Sanctitas ipſius conceptionis formalis. , quod recenter fusè probare aggreſſus eſt Franciſcus Guerra Epiſcopus Gadicenſis in Opere ſuo , quod intitulavit Majeſtatem Gratiarum , ac Virtutum Deiparæ, Illa verò jam dicta triplex Sanctificatio,vel emundatio conſiſteret in eo;quod Deus ſemen,vel corpus organizatum in utero materno liberum pronuntiaret à corruptione & infectione naturæ;id eſt efficeret, ne eſſet in tali ſemine,jus,aut neceſſitas,aut exigentia,aut cauſalitas (ut ſuprà dictum) contrahendi peccati originalis , cùm anima creata , & corpori unita fuerit. Poſſe autem fieri talem ſanctificationem ante animationem concedit S. Thomas , concedit Cajetanus eum explicans, ut conſtat tùm ex verbis allatis, tùm ſubſequentibus : *Quod autem non ſit unicus tantùm modus , quo redemptio à peccato ſit per Chriſtum , ex eo patet ; quod ultrà illum communem modum, quo ſalvat delendo inventam peccati maculam in anima,datur alius, quo tollẽdo contagionis labem à carne ſuſceptura animam , præſervat à peccato animam , ne incurrat in illud. Ac per hoc licet B. Virgo non indiguiſſet illo modo , ſcilicet per deletionem maculæ incurſæ , redimi & ſalvari per Chriſtum, indiguit tamen redimi & ſalvari per eundem alio modo , ſcilicet per emundationem infectionis fœtus , ut ſic præſervaretur à culpa.* Hæc Cajet. quibus verbis clarè docet potuiſſe Deiparam præſervari à culpa originali , ſi ante animationem emundaretur corpus ; hoc eſt, liberum pronuntiaretur ab illa univerſali lege contrahendi peccatum originale ; quod tunc needum contrahere potuit , quia nondum erat ſubjectum capax : & nondum etiam recipere potuit gratiam , & propriè dictam ſanctitatem , quia hæc ſimiliter requirit ſubjectum proportionatum, hominem. Plures antiqui ante & poſt D. Thomam agnoverunt hanc eandem ſan-

Guerra init. To. 1.

D. Thom. in 3. d. 3. q. 1. a. 1. ad 1. quæſt. Caiet. in 3. p. q. 27. a. 2.

Digitized by Google

ctificationem: unde Major appellavit eam dedicationem rei inanimis, & ſeparationem à profanis; uti vaſa ſunt ſancta, quia DEO dicantur, & ſeparantur ab uſu profano. D. Bonaventura appellavit eam purificationem, quæ eſt minùs propriè dicta Sanctificatio, & approbationem; quâ voce etiam uſus eſt Aleſis, nō quod ſufficeret hæc Sanctificatio, vel purificatio ſeminis, aut carnis, ad ſanctificationem propriè dictam; quæ fit per gratiam, cujus ſubjectum eſt anima; ſed quod hæc ſit proxima diſpoſitio ad illam. Iam nominatus Alenſis ſanctificationem propriè dictam bifariam dividit: *Dicendum quod duplex eſt Sanctificatio, ſcilicet Sanctificatio naturæ, & Sanctificatio perſonæ: Sanctificatio perſonæ eſt per præſentem gratiam; Sanctificatio naturæ non erit niſi per futuram gloriam, quia ibi ſanctificabitur natura, ſcilicet in gloria, prout innuitur 1. Cor. 15. In reſurrectione enim ſanctificabitur natura ipſa, quia tunc fiet Sermo qui ſcriptus eſt Vbi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus? Et appellat ſtimulum fomitem. Sanctificatio autem quæ fit per baptiſmum, & quæ eſt per præſentem gratiam, non eſt Sanctificatio naturæ, ſed Sanctificatio ſolùm perſonæ: ſed fomes adhuc remanet poſt baptiſmum in natura, & transfunditur per generationem in totam naturam; propter hoc non eſt generatio ſine peccato, quia natura eſt ſanctificata: & per generationem transfunditur natura. &c.* quæ benè notanda.

Io. Mai. in 3. d. 3. q. 1.

Bonav. in 3. diſt. 3. 1. p. a. 1. q. 1.

Alenſ. in ſumma Q. 9. m. 2. a. 1.

S. Thom. 3. p. q. 27. a. 2. ad 4.

VI. Sciendum eſt 6. Quibus modis S. Thomas uſurpaverit nomen Conceptionis, & Sanctificationis. De nomine Conceptionis loquendo, non memini me uſpiam apud illum legiſſe in Significatione Conceptionis formalis, ſed ſemper in Significatione Conceptionis materialis, ſive ſeminalis. Hinc dicit: *Prius fuit ſecundum carnem concepta, & poſtea ſecundùm Spiritum ſanctificata.* Præterea paulò infrà: *peccatum originale trahitur ex origine &c. quod quidem fit, quando proles concepta animatur* hic manifeſtò ſupponit Conceptionem ante animationem, & conſequenter conceptionem ſumit pro Conceptione ſeminali. Clariſſimè verò ſeq. articulo ſe explicat, quod per nomen Conceptionis aliud non intelligat quàm Conceptionem ſeminalem, cum dicit: *Non celebratur feſtum niſi de aliquo Sancto; ſed quidam celebrant feſtum Conceptionis B. Virginis, ergo videtur, quod in ipſa ſua Conceptione fuerit Sancta: & ità quod ante animationem fuerit ſanctificata.* Ecce ante animationem Conceptio; quæ non eſt niſi Conceptio ſeminalis. Similiter loquitur alibi, ubi de hoc materia tractat. E diverſo autem cùm de Conceptione

D. Thom. 3. p. q. 27. a. 1. ad 1.

ibi. ad 4.

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 2.

ptione

ptione formali, ſeu animatione fœtus agit, alias adhibet voces, & conſultò videtur abſtinere à nomine Conceptionis, ne formalem cum materiali confundat. Ideò dicit: *Sanctificatio B. Virginis non poteſt intelligi ante eius animationem.* Et rursùm *ante infuſionem animæ rationalis B. Virgo ſanctificata non fuit.* Item: *ante infuſionem animæ rationalis proles concepta non eſt culpæ obnoxia.* Hi D. Thomæ loquendi modi benè obſervandi ſunt, ad ſolvendas multas occurrentes difficultates. *Idem ib. a. 2. in Sol*

De voce Sanctificationis plura etiam reperire eſt apud S. Doctorem. Et quidem: Primus locus eſt in Summa Parte 3. ubi ſic ait: *Dicendum, quod ſanctificari, eſt aliquid fieri ſanctum. Fit autem aliquid non ſolùm ex contrario, ſed etiam ex negativè, vel privativè oppoſito; ſicut album fit ex nigro, & etiam ex non albo: nos autem ex peccatoribus ſancti efficimur, & ità Sanctificatio noſtra eſt ex peccato: ſed Chriſtus quidem ſecundum hominem factus eſt Sanctus, quia hanc gratiæ ſanctitatem non ſemper habuit; non tamen factus eſt Sanctus ex peccatore, quia peccatum nunquam habuit; ſed factus eſt Sanctus ex non ſancto ſecundùm hominem: non quidem privativè, ut ſcilicet aliquando fuerit homo, & non fuerit Sanctus; ſed negativè, quia ſcilicet quando non fuit homo, non habuit ſanctitatem humanam, & ideò ſimul factus fuit homo, & ſanctus homo.* His ferè ſimilia habet in Commentarijs ad Ierem. Proph. ubi ait: *Non ſanctum dicitur dupliciter: vel privativè, & tunc requiritur exiſtentia ſubiecti, & ſic Chriſto non convenit; aut negativè, & ſic convenit Chriſto de non ſancto fieri ſanctum; quia antequam eſſet homo, non erat ſanctus ſanctitate creatâ. &c.* Subdit deinde alias minùs proprias acceptiones hujus vocis Sanctificatio. *Sanctum dicitur uno modo cultui divino dicatum; & ſic res animatæ, & inanimatæ ſanctificari poſſunt. Aliquando autem ſanctum dicitur firmum, vel mundum, vel à peccato, vel à carnali actu. Et talis Sanctificatio eſt per gratiam, & tantùm in hominibus poſſibilis.* Tertius locus eſt etiam in Summa: *Dicendum quod duplex eſt Sanctificatio: una quidem totius naturæ, in quantum ſcilicet tota natura humana ab omni corruptione culpæ, & pœnæ liberatur, & hæc erit in reſurrectione: alia verò eſt Sanctificatio perſonalis, quæ non tranſit in prolem carnaliter genitum, quia talis Sanctificatio non reſpicit carnem, ſed mentem.* Quartus locus eſt in eadem 3. p. *Chriſtus in primo inſtanti Suæ Conceptionis ſanctificatus fuit per gratiam. Eſt autem duplex Sanctificatio: una quidem adultorum, qui ſecundum proprium actum ſanctificantur; alia autem puerorum, qui non ſan-*

D. Tho. 3. p. q. 34. a. 1. ad 2.

D. Thom. Comment. in Ierem. c. 1.

Idem 3. p. q. 27. a. 2. ad 4.

Idem 3. p. q. 34. a. 2.

ctificantur ſecundùm proprium actum fidei, ſed ſecundùm fidem parentum, vel Eccleſiæ. Prima autem Sanctificatio eſt perfectior, quam ſecunda, ſicuti actus eſt perfectior, quàm habitus; & quod eſt per ſe, eo quod eſt per alind. Denique circà materiam, quam tractamus, ſanctificationem S. Doctor explicuit illis verbis: *Sancti-*
Idem 3. p. q. 27. a. 2. *ficatio de qua loquimur, non eſt niſi emundatio à peccato originali. Sanctitas enim eſt perfecta munditia, ut Dionyſ. dicit in 12. ca. de diu. no. culpa autem non poteſt emundari niſi per gratiam, cuius ſubiectum eſt ſola creatura rationalis.* ubi videtur ſupponere in B. Virgine peccatum originale, & culpam in ipſa animatione; à qua poſteà fuerit emundata, prout eum nonnulli explicant; ſed quo ſenſu hæc accipienda ſint, dicemus ſuo loco.

§. III.

Aliqua prænotanda ut ſtatus Controverſiæ de Conceptione B. Virginis, qui fuit tempore D. Thomæ, meliùs intelligatur.

1. NOtandum 1. Tempore D. Thomæ feſtum Conceptionis B. Virginis nondum fuiſſe receptum ab univerſa Eccleſia: nondum Conſtitutionibus Pontificijs roboratum, prout defacto. Conſtat hoc clarè ex ipſomet D. Thoma: *Dicendum, quòd licet Romana Eccleſia Conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen conſuetudinem Eccleſiarum illud feſtum celebrantium.* ità in ſumma, & alibi in eundem ſenſum. *Nec tamen per hoc quod feſtum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quòd in ſua Conceptione fuerit ſancta: ſed quia quo tempore ſanctificata fuerit ignoratur, celebratur feſtum Sanctificationis eius potius, quàm Conceptionis, in die Conceptionis ipſius.* Ex qua Doctrina Divi Thomæ Colligitur 1. quod cùm poſt ejus obitum Sedes Apoſtolica non ſolùm Conceptionis feſtum univerſaliter celebrari præceperit, ſed etiam ex nomine Sanctificationis id fieri prohibuerit, ſi defacto S. Thomas viveret, in obſequium Sedis

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 2. ad 3. Idem in 3. d. 3. q. 1. a. 1.

dis Apoſtolicæ, mutaret ſententiam, utpote cujus judicio Authoritas Eccleſiæ prævalet dictis Auguſtini, & Hieronymi, prout alibi obſervo. 2. Colligitur, quod tempore D. Thomæ celebrata ſit in quibuſdam Eccleſijs Conceptio B. Virginis ſeminalis ſeu materialis, quam conſuetudinem toleravit Eccleſia Romana. Cùm enim neget Conceptionem Sanctam, ex eo quia tunc nondum erat creatura rationalis; intelligit, & loquitur de Conceptione ſeminali. Hanc autem meritò celebrari, & honorari poſſe, docet ex antiquioribus (licet D. Thoma poſterior) Gabriel Biel loquens de illa: *Principaliſſimè eſt Conceptio Virginis veneranda, quoniam ſingularem ordinem habuit illa Conceptio ad initia noſtræ Redemptionis. Nam illa Conceptio formatio fuit ſubſtantiæ corpulentæ, à Filio DEI poſtea pro noſtra redemptione aſſumenda. Ac per hoc conceptio futuræ Matris Filij DEI fuit quaſi quædam originalis Conceptio Chriſti. Ex quo etiam hoc patet, quod feſtum Conceptionis hoc reſpectu magis ad corporis formationem referendum eſt, quàm animæ ſanctificatæ infuſionem. Filius ſiquidem DEI pro nobis incarnandus, nihil de anima Beatiſſimæ Virginis aſſumpſit, ſed tantùm de corpore Virginis.* Quia igitur in hoc ſenſu Conceptionis feſtum celebrabant illis primis temporibus Eccleſiæ, non mirum eſt D. Bernardum, & plures ejus temporis Theologos huic celebrationi ſe oppoſuiſſe, cùm illis videretur quiddam inconveniens celebrare Conceptionem ſeminalem, licet alij econtrà propter ſupradictum reſpectum id conveniens judicarent.

D. Thom. 3. p. q. 68. & 2. 2. q. 10.

Biel ſerm. primo de Concept.

II. Notandum 2. Longo tempore ante S. Thomam Scholaſticos diſputaſſe de Conceptione B. Virginis paſſiva, uti colligitur ex Petro Lombardo, qui primus in Vniverſitate Pariſienſi Theologicas Sententias collegit; inde appellatus Magiſter Sententiarum. Vixit autem Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, Anno 1145. integro ſæculo ante D. Thomam. Lombardi Methodum ſequuti Succeſſores Theologi in eum ſcripſerunt Commentarios, & ipſe etiam D. Thomas *Scriptum in libros Sententiarum Magiſtri Petri Lombardi.* & rurſum aliud *Scriptum ſecundum in quatuor libros Sententiarum ad Annibaldum,* quod priore brevius eſt. Tanto autem in honore habitus eſt Lombardus, ut non facilè niſi ubi minùs probabiliter, vel obſcuriùs videbatur locutus, à ſequacibus deſereretur. Et eſt adhuc hodie in pluribus Vniverſitatibus tanto in pretio, ut alterius Theologi, niſi ipſius ſententiæ non prælegantur. S. Thomas plurimùm

ei tribuit; unde in ſuis Scriptis benignè eum interpretatur, & explicat, ubi durius ſenſiſſe videtur. Proderit igitur ad cognoſcendum hujus Controverſiæ ſtatum, & mentem Angelici Doctoris inveſtigandum, prius inquirere, quid Magiſter ſenſerit de Conceptione DEIparæ: quod præſtabo ſequenti §.

III. Notandum 3. Magiſtro Sententiarum fuiſſe coævum, imò aliquanto antiquiorem S. Bernardum Abbatem Claræval-lenſem, qui de celebratione Feſti Conceptionis ad Canonicos Lugdunenſes ſcripſit. Obijt Sanctus Bernardus Anno 1153. Magiſter verò 1164. Scripſit D. Bernardus Epiſtolam ad Lugdunenſes Anno 1136. ut putat Spondanus quo tempore Magiſter primùm florere cœperit. Et quia D. Bernardus ſanctitatis, & doctrinæ opinione per Galliam longè lateque clareſcebat, ejuſque Epiſtola Pariſienſi Scholæ initio ſtatim quando ſcripta, etiam probabiliter communicata fuit; plurimum S. Abbatis honori ac reverentiæ detulit Magiſter, ut noluerit aliter de Conceptione Virginis ſcribere ac ipſe D. Bernardus. Quid autem D. Bernardus & conſequenter Magiſter de ea ſenſerit paulo poſt dicemus. Succeſſit Lombardo in Epiſcopatu Pariſienſi Mauritius Epiſcopus, qui fortè Lombardi prædeceſſoris ſui authoritati conſultum volens, ad cohibendam opinionum libertatem Anno 1175. decretum condidit, quo prohibuit, *ne deinceps in Vniverſitate Pariſienſi defendatur Conceptio Virginis ſine peccato originali* ut teſtatur Guliel. Altiſiodorenſis. Quod autem ſolum intellexerit Conceptionem materialem ſive ſeminalem conſtabit ex dicendis.

Bellarm. de Script. Eccleſ. Baron. in Marty. Sponda. ad an. cit.

Altiſiod. lib. 3. ſum. Tr. 1. c. 3.

IV. Notandum 4. Antiquorum multorum opinionem fuiſſe, & fortè ipſorummet Canonicorum Lugdunenſium, qui tempore S. Bernardi cœperunt Conceptionem B. Virginis celebrare; quod ipſa ſeminalis Conceptio B. Virginis ſancta fuerit, quod ſemen; & caro ex qua formatum eſt corpuſculum DEIparæ in utero S. Annæ nunquam fuerit infecta originalis peccati debito ſeu exigentia, per quam anima ipſi unita inficeretur. Fundabatur hæc opinio in traditione antiquorum Hebræorum; qui, ut refert Galatinus, ſic opinabantur. B. Virginem non ſolùm in mente DEI ab initio, & ante ſecula creatam fuiſſe, ſed etiam materiam ejus in materia Adæ fuiſſe productam. Cùm enim DEVS Adamum crearet fecit quaſi maſſam quandam, cujus nobiliorem partem deſtinavit Virgini utpote futuræ Matri Filij ſui, cæteram verò partem pro alijs ſucceſſo-

Galati. lib. 7. de arcan. cap. 3. & ſeq.

corporibus Adæ: & quidem pars illa nobilior, inquiunt, conſervata fuit in loco nobiliore corporis Adæ, quæ poſtea emanavit ad Seth, deinde ad Henos,& ſuccedaneo ordine ad Ioachim, & B. Virginem. Hanc præterea partem deſtinatam pro Virgine, dicunt non fuiſſe infectam per prævaricationem Adæ macula originali. Conabantur verò probare hanc opinionem ex Scriptura ſacra. 1. ex Geneſi: *Vocavitque nomen Seth; dicens: Poſuit mihi DEVS ſemen aliud.* Videns, inquiunt, Adam omnes animas propter peccatum ſuum perditum iri, abſtinuit à cognitione uxoris poſtquam genuerat Abel centum triginta annis juxta 70. Interp. ne filios qui damnarentur, generaret. Nihilominùs poſtquam vaticinatus eſt de adventu Meſſiæ, cognovit uxorem, & genuit Seth, dicens: *Poſuit mihi DEVS ſemen aliud.* quaſi diceret, ſentio in me virtutem cujuſdam ſeminis, ex quo Mater Meſſiæ generanda eſt, quod eſt ſemen aliud à priore originis culpâ infecto, mundum, & immaculatum. 2. Ex michea Proph: ubi ait: *Egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* ubi Galatinus ſubdit ex Rabbi Haccados: *dicit enim egreſſus numero multitudinis, quia ſunt duo egreſſus Meſſiæ, unus divinitatis, quæ eſt æterna; ideòque dicit ab æternitate: alter humanitatis; quæ in ſuæ Matris exſtat Subſtantia, quæ creata eſt ab hora creationis mundi:* propterea ſuprà citatum Micheæ locum ex Hebræo legit: *egreſſus eius ab æternitate, & à diebus ſeculi.* Plura argumenta refero in Procœmio libri I. Eandem ſententiam tribuit Galatinus SS. Patribus, unde ait: *Sancti ac veteres Græcorum Patres Spiritu ſancto illuſtrati, videntur antiquorum Hebræorum opinionem tenuiſſe, qui Matris Meſſiæ materiam in materia Adæ fuiſſe productam voluerunt; atque puriſſimam uſque ad actualem ipſius Virginis formationem, præſervatam fuiſſe.* Subſcripſit huic Opinioni Galatinus, ſubſcripſit Doctor Pariſienſis Formon Anno 1624. qui addidit novam probationem ex Scriptura, inquiens: *Hæc poſſet aliqualiter probari per illud Gen. 2. Immiſit Dominus DEVS ſoporem in Adam; cùmque obdormiſſet, tulit unum dè coſtis eius, & replevit carnem pro ea. Coſta fuit infecta; & caro, quæ fuit poſita loco illius, non. Ex qua carne Chriſtus natus eſt.* ac ſi diceret: coſta illa, id eſt Eva, ex ipſâ formata, & reliquus Adam infecti fuerunt: ſecùs illa portio carnis, quam DEVS Verbo ſuo incarnando præparabat, & quæ per progenitores in Virginem tranſmiſſa eſt.

Gen. 4.

Mich. c. 5. *Galat. cit. cap. 3.*

Galat. cap. 5.

Formon in Lect. 3. Sent.

V. Notandum 5. ante S. Thomam, & tempore Magiſtri

Digitized by Google

Sententiarum hanc modo relatam ſententiam inter Theologos diſputatam, quibuſdam placuiſſe, alijs verò diſplicuiſſe. Tribuit illam Franciſcus Guerra Magiſtro Sententiarum, ſed immeritò: quia licet videatur Magiſter feciſſe mentionem illius, non tamen eam ſecutus eſt. Apponamus verba Magiſtri: *Transijt enim Adam modicum quid de Subſtantia ſua in corpora filiorum, quando eos procreauit; id eſt aliquid modicum de maſſa ſubſtantiæ eius diuiſum eſt, & inde formatum eſt corpus filij: ſuique multiplicatione ſine rei extrinſecæ adiectione auctum eſt. Et de illo augmento aliquid inde ſeparatur, unde formantur poſteriora corpora: & ità progreditur procreationis ordo lege propagationis, uſque ad finem humanæ generationis.* Hæc in genere dicta de propagatione omnium hominum, putat Guerra quod Magiſter applicuerit præſenti doctrinæ illis alijs verbis: *Quocircà primitiam noſtræ maſſæ rectè dicitur aſſumpſiſſe Chriſtus, quia non carnem peccati, ſed ſimilitudinem carnis peccati accepit.* Subdit Guerra de ſuo: *Primitia autem carnis noſtræ, eſt noſtra caro in primo ſtatu, ſed caro humana in primo ſtatu infecta non fuit, ergò Chriſtus aſſumpſit carnem nunquam infectam.* Sed certè non ſatis diſpicio quomodo hæc ſequela ex antecedente illo Magiſtri deducatur, quia potuit aſſumere carnem de B. Virgine mundam, & puram; licet prius caro B. Virginis non fuiſſet munda, & pura; prout multi Theologi docuerunt, & defacto Thomiſtæ docent, unde rectè D. Thomas ad hunc locum: *Quod Chriſtus dicitur primitias noſtræ carnis aſſumpſiſſe, non ſecundum identitatem rei, ut ſcilicet natura carnis, quam aſſumpſit, ſemper in conditone primi ſtatus remanſerit: ſed quantum ad ſimilitudinem, quia caro aſſumpta, prout conſideratur actu Caro Chriſti, ſine infectione culpæ fuit: ſicut & caro primi hominis ante peccatum.* Quare ex illis Magiſtri verbis colligi non poteſt, quòd hanc ſententiam amplexatus fuerit; licet non dubitem hanc opinionem ipſius tempore, imò & ante ipſum in Scholis diſputatam. Quid verò ſenſerit de Conceptione Deiparæ, dicam ſeq. §. Clariùs de hac opinione locuti ſunt eam improbantes D. Thomas, & Scotus, quorum verba referre libet. D. Thomas in 3. *Alius error non fuit dicentium, quod Caro Chriſti ſecundum quod à parentibus erat, infecta non fuit; dicunt enim, quòd peccante Adam, Dominus aliquid incorruptum & non infectum in Adam conſeruauit, per quod natura humana ſeruari poſſet; & quod hoc idem transfuſum eſt ſine aliqua infectione ad B. Virginem, & exinde formatum eſt Corpus Chriſti. Hoc autem erroneum reputatur.*

Guerra T. 1. lib. 1. Tr. un. Diſc. 1. frag. 4. Mag. 2. ſent. diſt. 3.

Mag. ſent. cit loco.

D. Tho. 2. ſent. q. 4. art. 1.

D. Thom. in 3. d. 3. q. 4. a. 1.

Digitized by Google

tatur. &c. Cenſuram hanc putat Guerrà cit. nimis rigidam eſſe, de qua non diſputo, cum ſatis mihi ſit oſtendere præfatam opinionem fuiſſe agitatam inter antiquos Scholaſticos. In eundem ſenſum ſcribit Scotus; *Dicitur ſecundùm Magiſtrum in 2. diſt 30. quod aliqua portio erat in Adam, de qua omnes filij eius propagati ſunt. Et aliqui ponunt, quod aliquid illius portionis non fuerit infectum in Adam, ſed ſervatum mundum uſque ad generationem Chriſti. Sed contrà primum. &c.* Ex quibus patet hanc opinionem vetuſtam eſſe, & quaſi congenitam Controverſiæ de Immaculata Conceptione. Refert illam etiam Henricus de Haſſia primus Viennenſis Vniverſitatis inſtauratæ Theologus Profeſſor, ut dico libro IV. cum de illo ago.

Scotus in 3. diſt. 3. q. 2.

VI. Notandum 6. Communi Theologorum tàm veterum, quàm recentiorum conſenſu peccatum originale traduci à progenitoribus in poſteros per ſeminalem propagationem: adeoque carnem ipſam infectam eſſe, & inficere animam, quando hæc illi unitur. Vt quis ergo contrahat peccatum originale, requiritur, ut per veram ſeminalem generationem ab Adamo deſcendat; hociplo enim quòd aliquis in lumbis Adæ fuit cùm ipſe mandatum DEI in Paradiſo tranſgrederetur, in ipſo tanquam in capite, & principe naturæ peccavit, quod peccatum maculat ejus animam quamprimum ſuo corpori unitur. Vnde, ut Bellarminus, & paſſim Theologi obſervant *anima non polluitur cùm creatur à DEO; ſed cùm per Coniunctionem cum carne ex Adamo tracta, pars hominis efficitur: neque enim anima eſt filia Adami, ſed homo.* Porrò generationem in naturâ peccato originis corrupta, comitatur incentivum libidinis, ſine quo defacto non fit generàtio, propterea dixit S. Aug. *Omnes cum libidine, & voluptate coitus geniti, cum peccato originali concipiuntur.* quod ità intelligendum eſt; non quod libido ſit vera cauſa peccati originalis, ſed quod cùm propagatio ſimpliciter naturalis eſſe potuiſſet in ſtatu innocentiæ, & non cauſare peccatum originale, jam in ſtatu naturæ per protoparentem vitiatæ, acceſſerit libido, quæ eſt quædam naturæ deordinatio, & ſemper comitatur generationem. Hæc obſervavit ipſe Magiſter Sent. *Caro enim per peccatum corrupta fuit in Adam, adeò, ut cùm ante peccatum vir & mulier ſine incentivo libidinis, & concupiſcentiæ fervore poſſent convenire; eſſetque thorus immaculatus, iam poſt peccatum non valeat fieri carnalis copula abſque libidinoſa concupiſcentia: quæ ſemper vitium eſt, & etiam culpa niſi excuſetur per bona coniugij. In*

Bellarm. de amiſſ. gra. lib. 4. c. 12.

S. Aug. de fide ad Pet. p. 1. c. 4. & habetur de conſecrat. diſt. 4. cap. Firmiſſime.

 con-

concupiſcentia igitur, & libidine concipitur caro formanda in corpus prolis. Vnde caro ipſa, quæ concipitur in vitioſa concupiſcentia: polluitur, & corrumpitur; ex cuius contactu anima cùm infunditur maculam trahit, quâ pollvitur. &c. Hæc ille: ne quis autem putaret, quod aſſerverit ſubjectum peccati carnem eſſe; explicat ſe, & docet cauſaliter peccatum originale eſſe in carne: propterea addit *Ideòque ipſum peccatum dicitur manere in carne: caro igitur, quæ in concupiſcentia libidinis ſeminatur, nec culpam habet, nec actum culpæ, ſed cauſam.* Ex hac doctrina, quæ certa eſt, & recepta ab omnibus, ſequitur 1. Quod obſervavit Seraphinus Porrecta Dominicanus: *Animam non creari cum peccato originali, ac de ſe non eſſe obnoxiam peccato originali: quare ſi adveniret carni aliunde, quàm ſeminaliter ex Adam generatæ, non eſſet maculata peccato originali.* Sequitur 2. quod licet caro ſeminetur cum libidine, adeoque habeat eoipſo exigentiam ut inficiat maculetque animam cùm ſibi fuerit unita, DEVM tamen ut authorem naturæ poſſe à carne taliter vitiata tollere hanc neceſſitatem, ſeu exigentiam; quod fieret ſi ſemen vel carnem aliquo improprio ſanctificationis genere purgaret vel ſanctificaret; quo ſenſu locutus eſt Bernardinus de Buſtis ad illud Proverb. 25. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum.* ait enim: *DEVS ſecundùm aliquos abſtulit rubiginem ac infectionem omnem à ſemine, quo debebat ipſa Virgo concipi, & ſic egreſſum eſt vas puriſſimum.* Similiter locutus eſt Cluniacenſis: *Hodie creditur præventa MARIA ab illa infectione, & cauſa peccati originalis, ità ut cùm creata anima, recepta fuit in corpore mundo. Ideò convenienter hodie, pluſquam alio tempore, celebratur eius Conceptio, quando ſcilicet facta eſt ſeminum commixtio, & purgatio.* His ſuffragatur Caniſius, qui poſtquam hanc opinionem ex Cardinale Cuſano, S. Brigitta, & alijs probaſſet, ait: *Materiam inanimem nondum animatæ DEIparæ ſupra omnia corporea à DEO dilectam fuiſſe. &c.* Sequitur 3. quod licet caro ſeminetur cum libidine, DEVM tamen poſſe per gratiam ſuam præſervativam efficere, ut anima tali corpori unienda non inficiatur à carne quod obſervavit ſubtiliter Scotus; *Si in creatione animæ gratia tunc fuiſſet ei infuſa, non eſſet tunc inconveniens, neque anima contraxiſſet aliquam infectionem à carne cum libidine ſeminatâ; ſicut enim poſt primum inſtans baptiſmi potuit manere infectio corporis contracta per propagationem cum gratia in anima mundata; ita poteſt eſſe in primo inſtanti.* Per quæ inſinuat ſententiam Recentiorum quorundam

Porrecta in 3. p. q. 27. a. 2. not. 1.

Buſt. Parte 9. ſer. 4. de Concept.

Cluniac. ſer. 4. de Concept.

Caniſ. lib. 1. de B. V. cap. 7.

Scot. in 3. diſt. 3. q. 1.

Digitized by Google

rundam, qui debitum contrahendi peccati originalis conſiſtere poſſe docent cum gratia & ſanctitate, adeoque non habent difficultatem concedendi, quòd B. Virgo debitum contrahendi peccatum originale toto decurſu vitæ habuerit, & tamen nunquam originale peccatum contraxerit. Sequitur 4. ex quorundam Sententia, ſi fieret generatio abſque libidine vitioſa, prout eſt naturæ deordinatio, animam in conjunctione cum corpore non inficiendam peccato originali. Hoc inſinuat Galatinus: *Quocircà à Sancto Ioachim, & à S. Anna omnem corporis libidinem effrænatam DEVS abſtulit, ut eo modo ipſam immaculatam generarent, quo primi parentes, ſi non peccaſſent, filios ſuos in Paradiſo genuiſſent.* Conſentire videtur Ioan. Bapt Novatus, qui adducit S. Ioan. Damaſcenum dicentem: *Vt oſtenderetur ex ſterili Matre Virginem, non ex carnis concupiſcentia, ſed ex Divina Gratia mirabiliter operante fuiſſe ortam.* Ex quibus Guerra probare intendit, quia B. Virgo ſine parentum libidine concepta fuit ſecundùm S. Io. Damaſcenum, conſequenter liberam fuiſſe à macula originali. Videtur tamen hoc ita intelligendum eſſe, non quòd præcisè coitus ſine libidine cauſa foret conſervandæ juſtitiæ originalis in prole, vel amovendi peccati originalis à fœtu concepto, ſed quòd ſit ſolùm ſignum, ex quo arguere liceat prolem conceptam in animatione carituram originali maculâ. Propterea Scotus illa verba Divi Auguſtini: *Peccati originalis maculam non transfundit propagatio ſed libido.* Sic exponit: *ut libido accipiatur pro carentia juſtitiæ originalis in propagantibus, quæ eſt cauſa libidinis in actu propagandi.* Vbi ulteriùs obſervo hanc quorundam, ut dixi, Sententiam coincidere cum illa, quæ docet parentes Virginis fuiſſe mundatos, ut mundam prolem conciperent, & illos fuiſſe liberatos ab originali, ut ſine originali filiam conciperent; quod tamen D. Thomas ſequi negat. *Si radix ſancta*, inquit, *& rami; radix autem filiorum ſunt parentes eorum, potuit ergò B. Virgo ſanctificari etiam in ſuis parentibus ante animationem.* ad quod reſpondet, quod duplex eſt Sanctificatio, una naturæ, altera perſonæ, perſonæ Sanctificatio nòn tranſit in prolem; eſto igitur parentes perſonaliter ſanctificati fuiſſent, non ſequitur neceſſariò ex hoc capite Virginem debuiſſe concipi ſanctam: pro quo adducit S. Auguſtinum dicentem: *Omnem quæ de concubitu naſcitur carnem eſſe peccati.* Quod ſi tamen, ut alibi docet idem Angelicus Doctor, tolleretur concupiſcentia habitualis, quæ in deordinatione virium animæ conſiſtit, & rein-

Galat. de arcanis lib. 7. c. 8.

S. Damaſcen. orat. 1. de Nativ. Virg.

Scotus in 2. diſt. 32. q. un.

D. Thom. 3. p. q. 27. a. 2.

ibid ad 4.

reintegraretur natura in parentibus, *& hoc quidem nulli dubium eſt, quin DEVS facere poſſit, & ſic hoc fieret proculdubio geniti ſine originali naſcerentur.* Hæc proinde etiam una fuit antiquorum Sententia, qui ex eo probabant B. Virginem Conceptam ſine originali peccato, quia vel parentes eius fuerunt antecedenter antequam convenirent ſanctificati, vel ſublata ab eis concupiſcentia & libido, imò integrata natura, ut genita ab eis proles immunis eſſet ab originali.

D. Tho. in 2. diſt. 31. q. 1. a. 2.

§. IV.

Status Controverſiæ de Conceptione B. Virginis, qui fuit à temporibus Divi Bernardi, uſque ad tempora Divi Thomæ, proponitur.

PRæmiſſis ijs, à quorum cognitione dicenda pendere videbantur, ſupereſt ipſam Controverſiam, quæ fuit ante Divum Thomam ob oculos ponere. Hoc præſtabo inquirendo, quid D. Bernardus in hac materia aſſerverit; quid negaverit: Similiter quid poſt ipſum Magiſter Sententiarum, & alij probaverint, vel improbaverint.

I. D. Bernardus DEIparæ devotiſſimus pluribus in locis ſuorum ſcriptorum agnovit Immaculatam DEIparæ Conceptionem, ut latè oſtendunt Serranus, Salazar, Martanellus, Nierembergius, &c. ſi loquamur de Conceptione formali. Atverò Conceptioni materiali, ſeu ſeminali videtur tribuiſſe peccatum ſive cauſalitatem peccati, adeoque negaſſe celebrandam Conceptionem, idque in Epiſtola ad Lugdunenſes Canonicos, quæ tamen non eſt indubitatus ipſius partus. Petrus Oieda, & poſt eum Serranus fusè probant Epiſtolam illam non eſſe Bernardi, ſed alterius cujuſpiam incerti Authoris. Quia tamen graviſſimi viri eam, ut genuinam melliflui Doctoris agnoſcunt; videndum, quid in illa pronuntiaverit de Conceptione: & Dico evidens eſſe quòd D. Bernardus in hac Epiſtola locutus ſit de Conceptio-

Serran. l. 2. c. 26. Sala. c. 42. Martan. in Spec. Nieremb. in Except. Oieda in Apol. pro Conc. c. 14 Serran. cit. n. 9.

ceptione ſeminali terminis, & de Conceptione formali ſolùm inſinuativè; ſic eum intelligunt, & explicant Ambr. Catherinus, Card. Bellarminus, Greg. de Valentia, Ioan. Bapt. Lezana, Nieremberg. Serranus, & alij, quod facillimè ex ipſiuſmet verbis oſtendi poteſt: *Vnde enim Conceptioni Sanctitas venit, quam Nativitati ſecutura tranſmitteret? An non potius quia præceſſit abſque ſanctitate conceptus, oportuit ſanctificari conceptam, ut ſancta ſequeretur Nativitas? potuit ſanè illa, quæ in iam Concepta facta eſt Sanctificatio, ad ipſum, qui ſequebatur, tranſire natalem, redire verò retrorſum ad conceptum, qui præceſſerat, omninò non potuit* Quod hoc loco tantùm loquatur de Conceptione ſeminali patet tùm ex contextu, tùm ex ſequentibus clarè: *Quomodo namque Sanctitas ſine Spiritu ſancto ſanctificante? an ſancto Spiritui ſocietas cum peccato fuit? aut certè peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit?* In qua rogo Conceptione intercedere ſolet libido? nunquid in ſeminali? ergò de hac prohibet D. Bernardus feſtum celebrari, & non de Conceptione formali, ſeu animatione, quam nullibi vocat Conceptionem, ſed neque ſub animationis nomine ejus meminit. Pergit verò idem mellifluus Doctor in eadem Ep. *Si igitur ante conceptum ſui ſanctificari minimè potuit, quia nondum erat, ſed neque in ipſo quidem conceptu propter peccatum, quod inerat. Reſtat ut poſt Conceptum, in utero iam exiſtens, ſanctificationem accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctam fecit Nativitatem, non autem & Conceptionem.* Hic videtur innuere primò illorum ſententiam, qui docebant in ipſis parentibus Virginem ſanctificatam priuſquam conciperetur ſeminaliter, & negat illam tunc potuiſſe ſanctificari, quia nondum erat. Deinde in ipſo conceptu ſeminali, in quo ait non defuiſſe libidinem, etiam negat potuiſſe intercedere ſanctificationem *propter peccatum*, quo nomine vel intelligit ipſam libidinem, quam ſine culpa ſaltem veniali in actu materiali non putabat accidere generationi; vel certè ipſum peccatum originale in ſemine ſeu fœtu ſeminaliter concepto, non quidem formaliter inhærens, ſed cauſaliter ut diximus: quocunque modo id acceperit, certum eſt, quòd ſolùm locutus ſit de ſeminali Conceptione. Firmatur hoc ex illis quoque ejuſdem Epiſtolæ verbis: *Nunquid potuit maritalibus oſculis, & amplexibus Sanctitas admiſceri, ut ſimul & concepta eſſet, & Sancta?* Conceptam hic dicit Virginem inter maritales amplexus, ergo per Conceptionem non intelligit niſi Conceptionem ſeminalem; & hanc

Cather. Tr. de Concept.
Bellarm. lib. 4. de amiſſ. gra. cap. 16.
Valent. To. 4. Diſp. 2. q. 1.
Leza. Apol. c. 30.
Nieremb. Exc. c. 18.
Serra. lib. 2. c. 26. n. 15.
S. Bern. Ep. 174. ad Lugdun.

nega-

negabat ſanctam, hanc negabat celebrandam, nec malè etiam ſecundùm probabilem modernorum ſententiam. Dixi ſuprà quòd de Conceptione formali non ſit locutus in hac Epiſtola, niſi inſinuativè, & hoc patet ex illis verbis: *Reſtat ut poſt conceptum in utero iam exiſtens ſanctificationem accepiſſe credatur.* quaſi diceret: poſt conceptionem ſeminalem in ipsâ animatione in utero jam exiſtens ſanctificata eſt, quia tunc in illo inſtanti quando corpus organizatum animatur, verum eſt dicere: *iam exiſtit*, jam eſt homo, jam eſt ſubjectum capax gratiæ. Ex his omnibus colligitur, quòd tempore S. Bernardi non fuerit alia Controverſia, quàm utrùm Conceptio ſeminalis B. Virginis celebranda ſit, aſſerebant Canonici Lugdunenſes fortè ex motivis ſententiæ ſuperiore §. relatæ; negabat S. Bernardus, & ob id illos reprehendit.

II. Magiſtrum Sententiarum quod attinet, certum eſt nullibi eum propoſuiſſe directè quæſtionem de hac materia, unde ejus Sententia per conjecturam ſolùm inveſtiganda eſt. Quærit in tertio Sent. de Carne Chriſti, ex qua deinde colligi poteſt, quid de Carne Virginis ſenſerit: *Quæritur etiam de Carne Verbi an priuſquam conciperetur obligata fuerit peccato. Et an talis fuerit aſſumpta à Verbo* Reſpondet ad quæſitum: *Sanè dici poteſt, & credi oportet, iuxtà Sanctorum atteſtationis convenientiam, ipſam prius peccato fuiſſe obnoxiam, ſicut reliqua Virginis Caro; ſed Spiritus ſancti operatione ità mundatam, ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo &c.* Subjungit paulò poſt: *MARIAM quoque totam Spiritus ſanctus in eam præveniens à peccato prorſus purgavit, & à fomite peccati etiam liberavit, vel fomitem ipſum penitus evacuando, ut quibuſdam placet, vel ſic debilitando, & extenuando, ut ei poſtmodum peccandi occaſio nullatenus extiterit. &c.* Eadem poſteà repetit alijs verbis. Quantum aſſequor hic Magiſter reſpexit ad illam opinionem quæ negat Conceptionem ſeminalem fuiſſe ſanctam, & ſine obnoxietate peccati originalis. Obnoxium, ut ſupra monui eſt proclive; ſeu inclinans ad peccatum, non peccato infectum; & hoc propriè dici poteſt de carne ſecundum ſe conſiderata, nondum animata; quia tunc habet obnoxietatem, inclinationem, exigentiam &c. inficiendi & maculandi animam in ſui conjunctione cum illa. Cùm ergo dicit Carnem Chriſti fuiſſe peccato obnoxiam, ſicut reliqua Virginis Caro, ſupponit Carnem Virginis fuiſſe obnoxiam; id eſt habuiſſe debitum, vel exigentiam, vel proclivitatem ad contrahendum

Mag. in 3. diſt. 3.

dum originale, non pro eo priori, quo erat ſolitarie caro nondum animata, ſed pro illo inſtanti, quo erat animanda. Vnde puto Magiſtrum eadem ratione, ſicut S. Bernardus, negaſſe Conceptionem ſeminalem fuiſſe ſanctam, aut celebrandam eſſe, licet de hoc nil expreſsè attulerit. Firmari poteſt conjectura ex eo, quòd præventam dicat, & ſimul à fomite liberatam Virginem: hæc autem liberatio facta eſt ante nativitatem ex utero, igitur etiã præventio gratiæ fuit ante Nativitatem ex utero. Vnde loquendo de Conceptione formali B. Virginis ſeu animatione; ſi quæratur quid Magiſter ſenſerit, cùm expreſsè de illa non agat, ego per conjecturam Exiſtimo Magiſtrum ſtetiſſe pro pia opinione, & ſenſiſſe quod B. Virgo in Conceptione formali, ſive prout tunc loquebantur in animæ infuſione fuerit ſancta, & immunis ab originali. Moveor 1. quia pariformiter loquitur de Carne Virginis, & Carne Verbi, utramque dicens fuiſſe obnoxiam ſolùm peccato, non infectam, ergo ſicut Caro Verbi ante animationem fuit caſtificata (cujus vocis vim infrà explicabo) ità Caro Virginis. 2. quia dicit: *Virginem totam Spiritu ſancto præveniente ab omni labe peccati caſtificatam.* cùm dicit præventam à Spiritu ſancto, & abſtrahit ab omni differentia temporis, videtur ſupponere pro eodem inſtanti, quo aſſervit carnem Verbi præventam pro nimirum inſtanti animationis. 3. quia ſequenti §. clarè iterùm eodem ſenſu, poſtquam retulit ſententiam D. Auguſtini: *Excepta Virgine MARIA, de qua &c.* ſubjungit: *Illa autem Virgo ſingulari præventa eſt gratiâ, atque repleta, ut ipſum haberet ventris ſui fructum, quem ex initio habuit univerſitatis Dominum, ut illud quod naſcebatur ex propagine primi hominis, tantummodò generis, & non criminis originem duceret.* quæ licet referri videantur ad Conceptionem activam, qua Virgo DEI Filium concepit, aptiùs tamen ad Conceptionem paſſivam extenduntur, quâ ſcilicet ipſa in utero Matris ſuæ concepta eſt, ut vim habeat ad evincendam puritatem Virginis argumentum ab ejus maternitate deſumptum. Tam enim fuit conveniens, ut illud ex quo naſcebatur DEI Filius primi hominis tantummodò generis, & non criminis originem duceret, quàm id quod naſcebatur. 4. quia videtur Magiſter hic reſpexiſſe ad dictum S. Auguſtini: *Caro Chriſti eſt Caro MARIÆ*, & fortè etiam ad illud Petri Damiani: *Caro Virginis ex Adam ſumpta; maculas Adæ non admiſit.* quâ ſuppoſitione factâ clarum eſt, quòd Magiſter agnoverit, & ſenſerit DEIparæ Conceptionem forma-

S. Aug. ſer. de Aſſumpt. Pet. Dam. ſer. 40.

lem, ſive animationem ſine macula. 5. quia multi viri graves, & docti pro pia Sententia Magiſtrum adducunt, quos inter Conſalvius Durantus, Ferd. Salazar. Nieremberg. Guerra. alij.

Durant. in Not. ad Revel. B. Virg. Salaz. c. 42. Nieremb. Except. c. 26. Guerra To. 1. l. 1. Tr. un.

III. Quodſi aliquis ex me quærat, cùm ego aſſeram in noſtra Sententia fuiſſe & Divum Bernardum, & Magiſtrum Sententiarum, cur neque Divus Bernardus in Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes, nec Magiſter in Sententijs ſuis magis expreſſam fecerit mentionem Conceptionis formalis, ſeu animationis Immaculatæ: huic facili negotio reſpondebo. Quod attinet ad D. Bernardum, non erat ejus intentio reprehendendi Canonicos ideò præcisè, quòd celebrare præſumerent Conceptionem ſeminalem, in qua libido non defuit, & quam ipſe putabat non debere celebrari; ſed ideò potiſſimum illos reprehendit, quòd præſumpſerint inſtituere feſtum inconſultâ Romanâ Eccleſiâ, quæ tunc nullam adhuc Conceptionem celebrabat. Non erat igitur opus facere mentionem Conceptionis formalis, quia etiam hujus celebratio feſtiva pro tunc fuiſſet reprehenſibilis, ſi facta fuiſſet inconſultâ Eccleſiâ Romanâ; propterea dixit: *Novam inducere celebritatem, quam ritus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiquitas.* & in fine Epiſtolæ: *Quæ autem dixi, abſque præiudicio ſanè dicta ſint ſanius ſapientis. Romanæ præſertim Eccleſiæ authoritati, atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ eiuſmodi ſunt, univerſa reſervo; ipſius, ſiquid aliter ſapio, paratus iudicio emendare.* Vnde rectè obſervavit Card. Baronius, illam Epiſtolam à Divo Bernardo ſcriptam *ut res ipſa accuratiùs examinaretur, atque deferretur ad Iudicium Apoſtolicæ Sedis: ubi ex Scripturis ſacris, prolatis in medium teſtimonijs, prævijs fidelium precibus Pontificio Sanciretur decreto, celebrandam eſſe in Eccleſia Sanctiſsimæ DEI Genitricis Conceptionem.* Hæc de D. Bernardo. De Magiſtro autem Sententiarum ità ſentio. Certum eſt, quòd ipſe nomine Vniverſitatis Pariſienſis Sententias communes, & ad id uſque temporis receptas in Scholis, non autem alias novas, vel magis ſpeculativas, collegerit. Et quia de Conceptione formali tunc non quærebatur inter Scholaſticos, ſed ſolùm de Conceptione ſeminali, vel materiali (occaſione celebrati apud aliquas Eccleſias feſti Conceptionis) quæſtio erat, an fuerit ſancta; an cum peccato, vel ſine peccato originali: ideò de hac aliquid dixit indirectè; de formali verò ità parùm inſinuavit, ut quaſi aliud agere videretur; ut conſtat ex ſupradictis. Nec mirum eſſet, ſi planè omiſiſſet agere de u-

S. Bern. Ep. cit.

traque

traque Conceptione; quia controverſia de ſanctitate Conceptionis ſeminalis, erat quaſi profligata, & exploſa in ſcholis propter authoritatem Divi Bernardi, ut putaverit non eſſe operæ pretium de illa quidpiam diſſerere, nec erant inventa adhuc pro illa tot argumenta, quot ſucceſſu temporis Doctores excogitarunt. altera verò de ſanctitate Conceptionis formalis nondum invecta in ſcholas; licet piorum mentibus, & verſatis in lectione Patrum alte inſederit, imò (ut placet alicubi Nierembergio) à doctioribus ſupponeretur tanquam indubitata, & traditio Apoſtolorum. Conſtat proinde, ex hactenus dictis, in quo ſtatu fuerit Controverſia de Conceptione B. Virginis tempore Magiſtri Sententiarum: quæ quidem ſtatim poſt ipſum magnam præbuit Scholaſticis Diſputandi materiam, ut ex ſequentibus licebit conjecturam formare.

IV. Alexander Alenſis Doctor Irrefragabilis, qui vixit Anno 1245: Sanctorum Bonaventuræ, & Thomæ Aquinatis Præceptor, materiam de Conceptione Virginis in plures diviſit quæſtiones, his verbis:

Conſequenter quæritur de ſanctificatione B. Virginis, in quo ſtatu potuerit ſanctificari. Et circà hoc plura quæruntur. Primum eſt, an ante Conceptionem fuerit ſanctificata. Secundum eſt, an in Conceptione fuerit ſanctificata. Tertium eſt, an poſt Conceptionem ante infuſionem animæ fuerit ſanctificata. Quartum eſt, an poſt animæ infuſionem fuerit ſanctificata in utero Matris ſuæ. Quintum à quibus fuerit ſanctificata. Vbi patet 1. quod ex eo tempore, quo Magiſter Sententiarum in Scholis receptus fuit, hæc Controverſia de Conceptione DEIparæ incrementum ſumpſerit, & claritatis cauſa in plures quæſtiones diviſa. 2. Quod maxima ex parte concertatum ſit de Conceptione materiali, non autem de formali, & quod Conceptionem materialem ſive ſeminalem (quod idem eſt) antonomaſticè vocaverint Conceptionem, prout etiam dudum antea D. Bernardus hanc vocem uſurpaverat: propterea de hac Conceptione tres primas quæſtiones tribus articulis diſputat Alenſis, nullam faciens mentionem de Conceptione formali: unde 3. patet, quòd videatur hoc tempore nondum quæſitum fuiſſe in ſcholis: *An B. Virgo in inſtanti Conceptionis formalis,* vel (quod idem eſt) in inſtanti animationis *fuerit ſanctificata,* vel gratiâ ſanctificante præventa. Formo conjecturam ex uno Alenſi, quia inter ipſum & Magiſtrum Sententiarum, licet fortè plures vixerint Scholaſtici Theologi, qui

tamen Opera ſua reliquerunt poſteritati paucos numeraveris. In Catalogo Scriptorum Bellarmini, unus tantùm notatur Gulielmus Antiſiodorenſis Epiſcopus coæuus Alenſi, qui ſub Annum 1240. Summam Theologicam Scholaſtico more conſcripſit. Hunc nanciſci non potui. Pauculi alij Scriptores ejus ſeculi partim Aſcetica, partim Moralia ſcripſerunt. Cum igitur Alenſis diligentiſſimus aliàs quæſtionum ſui temporis Collector, nullam quæſtionem moueat de Sanctificatione B. Virginis in ipſo inſtanti Conceptionis formalis, ſiue animationis; ſicut mouet quæſtionem de inſtanti Conceptionis materialis, uidetur rectè colligi, hac ætate nondum ſcholis inuectam fuiſſe quæſtionem illam, de quâ noſtro tempore diſputamus; Non multum tamen temporis interceſſit, & fortè uiuo adhuc Alenſi, cùm quæſtio illa etiam cœteris adjuncta eſt: *An B. Virgo ſanctificata fuerit in ipſa animatione, ut mox conſtabit.*

Bellarm. de Script. Eccleſ.

III. D. Bonaventura amiciſſimus D. Thomæ Aquinati circa annum 1265. agens de præſenti materia, ſic proponit ſui temporis quæſtiones: *Circa primum quæruntur tria.*

D. Bonav. in 3. diſt. 3. q. 1. & ſeqq.

Primò quæritur utrùm Caro Virginis ſanctificata fuerit ante animationem.

Secundò quæritur, utrùm anima eius ſanctificata fuerit ante originalis contractionem.

Tertiò quæritur utrùm ſanctificata fuerit ante Nativitatis originem.

Hic jam aliæ ſunt quæſtiones; & quod Alenſis duobus quæſitis, hoc Bonaventura unico expedit; agens ſolùm de carnis ſanctificatione, non de ſanctificatione ante Conceptionem ſeminalem; cùm hæc quæſtio paſſim jam ut ſuperflua cenſeretur, & id quod nondum erat, ſanctificari non potuerit. In ſecunda quæſtione aliter procedit Doctor Seraphicus, quàm Alenſis: quærit enim ſecundò, de inſtanti infuſionis animæ, licet titulus quæſtionis hoc non ſatis exprimat, ſed patet ex contextu, ubi inter alia habet: *Notandum, quod quidam dicere volunt in anima Glorioſæ Virginis gratiam ſanctificationis præveniſſe maculam peccati originalis. &c.* Quam præventionem ſuperius magis explicitè propoſuit in argumento pro pia Sententia: *Poſſibile fuit gratiam dare animæ Beatæ Virginis in primo inſtanti creationis.* Item in alio argumento: *Videtur quod Virgo MARIA non tantum ſanctificata ſic fuerit* (ſicut Ioannes Bapt. in utero) *ſed etiam in quantum ad nativitatem in utero; ſed nativitas in utero eſt in animæ infu-*

Bonavent. cit. q. 2.

Infuſione, ergò Beata Virgo in inſtanti infuſionis animæ ſanctitatem habuit Divinâ Gratiâ; ergò nunquam habuit infectionem originalis culpæ.

Ita D. Bonaventura qui amiciſſimus fuit D. Thomæ, & eodem anno, quo D. Thomas obijt Anno ſcilicet 1274. Conſtat ergò ex hoc, quæſtionem illam, de qua nunc diſputamus in ſcholis, tunc primum, cùm D. Thomas viveret, & forte ab ipſo D. Bonaventura, in ſcholis expreſsè proponi cœptam, cùm prius apud Alenſem Præceptorem nulla ejus mentio habeatur. Nova igitur prorſus fuit quæſtio hæc tempore D. Thomæ, exoleſcente ſenſim altera: *An B. Virgo in Conceptione ſeminali fuerit ſanctificata.* Non dico autem ita novam fuiſſe hanc quæſtionem, quod hoc primum tempore excogitata fuerit, quaſi nullus anterioribus temporibus de ea ſciviſſet: quia, ut libro primo fusè oſtendo, ferè omnes SS. Patres prioribus ſeculis eam docuerunt; ſed novam dico in ſcholis, novam in diſputationibus. Antiquiores Magiſtro Sententiarum Patres & Theologi, imò & ipſe Magiſter multa ſuppoſuerunt, & multa inſinuarunt potiùs, quàm probarunt; coævi cœperunt aliqua vocare in dubium, & indagare per varia argumenta veritatem: poſteri denique aliqua ità elucidarunt, ut in ipſis Concilijs tanquam articuli fidei definita ſint. Sic videntur aliqui Theologi antiqui ante Magiſtrum ſenſiſſe peccatum originale eſſe concupiſcentiam, perſuaſi authoritate D. Pauli, Auguſtini, & Ambroſij, ut ſupra vidimus, quam authoritatem non benè interpretati ſunt: Magiſter cœpit quæſtionem de hoc movere in ſcholis; ſucceſſu temporis agnita eſt concupiſcentia pro materiali peccati originalis, imò ipſe S. Thomas aſſeruit concupiſcentiam poſſe dici peccatum, cùm ſit materiale peccati: nullus tamen docuit (niſi Novatores hæretici ſuperiore ſeculo) quod concupiſcentia ſimpliciter ſit originale peccatum, aut formaliter. Tandem Concilium Tridentinum definivit, quo ſenſu intelligendus ſit D. Paulus, & alij Patres, qui concupiſcentiam peccatum appellant; *Non quod verè & propriè peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.* Pari modo diſcurrendum videtur de Conceptione Immaculata Virginis. Ab ipſis Apoſtolorum temporibus continuata Patrum ſeries eam tradidit. Seculo undecimo, quod præteritis minùs literatum fuit, pauci reperiuntur Patres (uti libro I. oſtendo) qui de hac materia ſcripſerunt. Seculo duodecimo ſcholæ florere, & hanc denuo quæſtionem accura-

D. Thom. in 2. d. 30. q. 1. a. 3.

Trid. ſeſſ. 5.

tiùs cœperunt perpendere. Et manſit diù quæſtio intrà terminos Conceptionis ſeminalis, quam docere Immaculatam prohibuit Pariſienſi ſcholæ Mauritius Epiſcopus : cujus decretum vim habuiſſe videtur, uſque ad tempora ſubtilis Scoti; quæ tempora cùm D. Thomas non attigerit , nihil mirum videri deberet, ſi docuiſſet Beatam Virginem in Conceptione ſua originali peccato maculatam fuiſſe; ſed in ſenſu præfato.

IV. Vt igitur quæſtiones circa Conceptionem DEIparæ, quas uſque ad tempora D. Thomæ vel tractarunt, vel inſinuarunt Theologi breviter ponamus ob oculos, ſic eas pari libet.

1. An parentes DEIparæ Ioachim & Anna fuerint ſanctificati priuſquam DEIparam conciperent : ut conſequenter ex ſancta radice pullularet ſanctus ramus: & hoc eſt quærere: *An fuerit B. V. ſanctificata ante Conceptionem.* egit de hac quæſtione ipſe S. Thomas, ut notum eſt. *D. Tho. 3. p. q. 27. a. 1.*

2. An ſemen parentum Ioachim, & Annæ fuerit purificatum, & mundatum; ex quo deinde formaretur corpus DEIparæ, eo tempore, quo inter conjugales amplexus (uti loquitur D. Bernardus) Ioachim & Anna commixti ſunt: hoc eſt quærere *An B. V. ſanctificata fuerit in ipſa Conceptione materiali.* Videantur Galatinus, Guerra & alij. *Pet. Galat. lib. 7. de arca. cap. 3. Guerra. To. 1. Tract. un. Diſc. 2. frag. 3. puncto 4. Gran. Diſp. 3. ſect. 3. c. 2. Iac. de Valent. in Magnif. Holcoth in cap. 13. Sap. Paul. Venet. Tract. de Conc.*

3. An fœtus ex ſemine in matrice D. Annæ recepto formari cœptus, ſive coagulum carnis ex ſemine parentum formari cœptum, antequam anima crearetur, eique uniretur fuerit purificatum, & mundatum ab originalis peccati infectione : quod alij proponebant ; *An B. V. poſt Conceptionem materialem, ante infuſionem animæ ſanctificata fuerit.* De quo ijdem conſulendi.

4. An B. Virgo in ipſa animæ infuſione, ſive in ipſo inſtanti animationis, quæ Conceptio formalis dicitur, fuerit ſanctificata; ità ut anima ejus nullâ maculâ peccati originalis inficeretur, ſed ab ipſo animationis primo inſtanti, Gratiâ DEI, & ſanctitate donaretur: de hoc litigamus hodie cum paucis Thomiſtis.

5 An B. Virgo poſt creationem animæ ſuæ, & ejus ad corpus unionem ſanctificata fuerit; non primo inſtanti, ſed aliquo ex ſequentibus temporis inſtantibus; ità ut per prius originali peccato fuerit infecta, per poſterius ab eo mundata. Hic omnes convenimus, tam antiqui, quam Recentiores ; tàm Thomiſtæ, quam Scotiſtæ, & alij, affirmando quod ſancta fuerit Virgo poſt Conceptionem formalem priuſquam ex utero naſceretur.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Quæſtiones quas D. Thomas movit de Conceptione B. V.

CONformiter de ea, quæ præmiſimus, ſicuti quæſtiones coævorum, & antiquiorum produximus ità hic libet producere quæſtiones D. Thomæ in hac materia, ut facilius inveſtigare liceat ejus ſenſum de Conceptione formali Virginis.

I. Ordiamur à primo Scripto S. Doctoris in Magiſtrum Sent. in eo proponit quæſtionem *De tempore ſanctificationis.* & articulo 1. præfigit hunc titulum: *Vtrùm B. Virgo fuerit ante ſanctificata, quam Conceptio eius finiretur.* Hanc quæſtionem ſubdividit in tres partes, & quærit primò an fuerit ſanctificata in parentibus ante Conceptionem ſeminalem; *Videtur quod B. Virgo ſanctificata fuerit antequam Conceptio carnis eius finiretur.* & reſpondet negativè, quia *quod non eſt, non poteſt ſanctificari, ſed B. Virgo non fuit antequam conciperetur in utero Matris ſuæ, ergò non potuit ante Conceptionem ſanctificari. &c.* Secundò quærit de Conceptione ſeminali, quam extendit per totum tempus organizationis corporis uſque ad animationem excluſivè ſumptam; unde dicit: *Videtur quod ante animationem ſanctificata fuerit.* Et reſpondet negativè; quià virtus agentis prius pervenit ad ſibi propinquiora, deinde ad remotiora; ſed anima propinquior eſt DEO, quàm corpus, ergò prius à DEO debuit ſanctificari anima, quàm corpus &c. Tertiò quærit, utrùm fuerit ſanctificata ante Nativitatem ex utero, poſtquam ſcilicet fuit in utero matris, & Concepta ſeminaliter, & animata ſeu concepta formaliter: *Videtur, quòd nec etiam ante Nativitatem ex utero.* Et reſpondet affirmativè, quia tunc B. Virgo jam erat ſubjectum gratiæ capax: *Et quid proprium ſubiectum gratiæ eſt rationalis natura, ideò ante infuſionem animæ rationalis, B. Virgo ſanctificari non potuit.* Ecce conſultò prætermiſſam quæſtionem An B. Virgo ſanctificata fuerit in ipſa animatione. Cauſam indagabimus infrà.

D. Tho. in 3. diſt. 3. q. 1. a. 1.

II. Pro-

II. Progrediamur ad alterum ſcriptum in libros Sententiarum ejuſdem S. Doctoris, quod inſcripſit Annibaldo Cardinali. In hoc prætermiſſis duabus ſupranominatis quæſtionibus unicam proponit: *Vtrùm B. Virgo fuit in utero ſanctificata?* Et reſpondet ſicut ſuprà affirmativè ex duplici ratione, quia etiam Ioannes, etiam Hieremias ſanctificati leguntur in utero: & quia Eccleſia celebrat ejus Nativitatem. Hic quoque prætermittit quæſtionem hodie celebrem: An in ipſa animæ infuſione fuerit ſanctificata B. V. vel ſanctitate donata.

D. Tho. ad Anibald. in 3. d. 3. q. un. a. 1.

III. Supponamus hic etiam Summam eſſe genuinum partum D. Thomæ, & conferamus ejus quæſtiones cum præcedentibus. Duo autem in illa quærit:

1. *Vtrum B. Virgo Mater DEI fuerit ſanctificata ante nativitatem ex utero.* 2. *Vtrum B. Virgo fuerit ſanctificata ante animationem.*

Ecce iterùm hic prætermittit quæſtionem: *Vtrùm fuerit ſanctificata in ipſa animatione* quam tamen coævus B. Bonaventura fusè tractavit. Alias porrò quæſtiones non reperio de hac materia apud Doctorem Angelicum, ex profeſſo tractatas, vel propoſitas; ut proinde facili conjecturâ concludam ab ipſo illam quæſtionem, quæ eſt de inſtanti animationis, conſultò, & non abſque rationabili cauſa prætermiſſam: quam quidem indagabimus inferiùs ſuo loco.

§. VI.

An Divus Thomas ſenſerit B. Virginem Conceptam cum macula Originali, vel ſine macula? aliorum opiniones.

AVthoritas dubia ſolidum nulli ſententiæ fundamentum præbet. Dubia verò authoritas illa eſt, quæ in utramq; Controverſiæ partem à Doctis viris allegatur. Vnde miror nonnullos, qui in materia de Conceptione DEIparæ tanquam certum ſupponunt, quod D. Thomas aſſeruerit, ac docuerit DEIparam cum originali conceptam; non neſcij alios plurimos

rimos aliter de S. Doctoris mente opinari. Facilius illis indulgeo, qui domeſticis contenti, alienos non conſulunt; ſed prout acceperunt à majoribus, ita explicant Sanctum Præceptorem. In eorum gratiam, ne illos excuſet ignorantia, exhibeo hoc §. diverſos diversè opinantes de D. Thoma, ut deinceps ſaltem timidiùs vel cautiùs ejus authoritate ſuam in hoc puncto doctrinam fulciant.

I. Prima Claſſis eorum eſt, qui dicunt D. Thomam ſenſiſſe ac docuiſſe, quòd B. Virgo non minùs quàm cæteri homines in Conceptione ſua fuerit maculata originali peccato, & ab eo poſteà, priuſquam ex utero naſceretur, mundata. Ità ſentiunt non pauci ex Diſcipulis Divi Doctoris, quos non eſt operæ pretium hic recenſere. Conſenſiſſe iſtis videntur etiam alij nonnulli celebres Theologi. Bellarminus, Valentia, Felix, & plures apud Ægidium de Præſentatione.

II. Secunda Claſſis eſt eorum, qui dicunt planè oppoſitum, nempe D. Thomam ſemper ſtetiſſe pro Innocentia originali Virginis, docuiſſe immunem ab omni peccato originali: & actuali: unde conantur omnia S. Doctoris aſſerta, quæ ab aliis in contrarium afferuntur, in meliorem partem interpretari, non malè (ut ego quidem mihi perſuadeo) ipſiuſmet S. Doctoris conſilio obſecuti, qui ad illam quæſtionem *Vtrum dubia ſint in meliorem partem interpretanda?* reſpondet affirmativè. Sic igitur D. Thomam interpretantur, quos hactenus mihi videre licuit Andreas Peruzzinus, Eugenius Martanellus ejus Compendiator, Euſebius Nierembergius. Alij quoque quos ſolùm citatos reperi, non vidi M. Ant. Palaus. Philippus Bernal. Anton. Calderonius, Archiep. Granatenſis &c. Dionyſius Carthuſianus qui ſimpliciter pro pia opinione adducit D. Thomam de locis ejus explicandis non ſolicitus, & alij. Et quod maximi faciendum eſt ipſimet D. Thomæ Sectatores ex eodem Prædicatorio Ordine Ioannes Bromiardus. Ioannes de Viterbio, Ioannes à S. Thoma. Seraphinus Porrecta. Laurentius Guttierez. Franciſcus de Aravio. Leonardus de Vtino. Ioannes Viguerius, & alij apud hos citati. Recentiſſimè Gaſpar Catalan de Monzonis, inſigni Epiſtola ad Michaëlem de Lanuza, Equitem egregiè oſtendit D. Thomam Præceptorem ſuum piæ ſententiæ ſubſcripſiſſe. Videtur etiam in hanc Claſſem inclinare Catharinus.

Bellarm. To. 4. de amiſſ. gra. lib. 4. Valent. To. 4. d. 2. q. 1. Fel. de pecc. cap. 11. d. 2.

D. Thom. 2. 2. q. 60. a. 4.

Peruzzi. Tract. de Sent. D. Thom. Martan. Speculo. Nieremb. in Except. Calderon. in Aſſerto. Dominica. Carthuſ. de præcon. Virg. l. 1. a. 17.

Bromiard. Viterb. Ioan. à S. Thō. Porrecta. Guttier. inf. cit. Arau. apud Nier. Vtin. Viguer. apud Martanell. Catal. in Ep. Cathar. Opuſc. de Cōc.

III. Tertia Claſſis eos comprehendit, qui ajunt D. Thomam problematicè docuiſſe modo hanc, modo illam opinionem. Et in hac Claſſe plurimi ſunt; ſed inter ſe variant in ultimata ipſius mente adſtruenda, prout ſcilicet huic vel illi opinioni adhærent. Maraccius: *quod Angelicus Doctor in Summa non obſcurè affirmaverit originale peccatum fuiſſe a B. Virgine contractum; aſſero illum non ità fuiſſe in hac re conſtantem, quin etiam in 1. Sent. &c. Conceptioni Immaculatæ DEIparæ libentiſſimo calamo ſe ſubſcripſerit.* Similiter Ferdin. Salazar: *Illud certè dicendum, quod de alijs graviſſimis Doctoribus hactenùs decrevimus, Divum Thomam hac in doctrina à ſeipſo diſſentaneum, & diſcordem fuiſſe.* Salmeron etiam eodem ſenſu: *S. Thomas ipſe aliquando aliter & ſenſit, & ſcripſit.* Quin & ex Thomiſtis complures idem aſſeverant de ſuo S. Præceptore. Guliel. Pepin, cùm eum allegaſſet pro pia Sententia in 1. Sent. d. 44. a. 3. ſubdit: *Et quamvis in 3. p. aliter ſenſerit, nihilominùs excuſandus eſt, eo quod tunc loquebatur ut plures.* Catalan licet aſſerat S. Thomam pro pia ſimpliciter ſtetiſſe ſententia, dato tamen non conceſſo, quod contrariam alicubi propugnaverit monet ſuos Collegas his verbis: *Admiſſo quippe, quòd in alijs ſuæ doctrinæ locis dixerit S. Thomas, Virginem contraxiſſe culpam originalem; hiſce tamen diebus iuxtà admonitionem, ac doctrinam ipſius ſancti, tenentur eius Diſcipuli ſequi opinionem piam, quâ ſtabilitur ab eadem fuiſſe præſervatam. &c.* Ad hanc Claſſem referendi Cajetanus, Capreolus, Coſmas de Morelles, Vincentius Iuſtinianus, Ambroſius Catherinus, & alij. Catherinus: *De B. Thoma, etiam qui inſignes Thomiſtæ habentur, Capreolus, & Caietanus, fatentur ingenuè in nonnullis eum variè ſcripſiſſe, & poſterius, quæ anteà ſcripſerat retractaſſe. Quin etiam ipſos Thomiſtas in pleriſque de Thomæ ſenſu inter ſe diſceptare.* Et cùm deinde multa protuliſſet ex S. Thoma pro pia Sententia, ſubdit: *Ex quibus arbitror non valdè protervos perſuaderi ſatis poſſe, quòd B. Thomas hanc aliquando ſententiam probavit, quod neque Capreolus omninò negare eſt auſus, neque audet Caietanus. &c. Ego verò optimâ mihi videor conjecturâ colligere; quod S. Doctor eo lumine veritatis, quo interius afficiebatur, hoc aliquando probavit, quod & nos ſentimus.* Hæc ille.

Maracc. in fide Caiet. mihi pag. 43. Salaz. cap. 42. ſect. 13. Salmeron. To. 13. in Ep. ad Rom. l. 2. Diſp. 51. Pepin ſer. de Conc. Catalan in Epiſt.

Morell. in 1. d. 44. Iuſtin. inſ. c. 8. Cather. Opuſc. de Concept. l. 2. pag. 51.

IV. Quarta Claſſis eorum eſt (ut ſuperiorem ſubdividamus) qui dicunt, quòd S. Thomas quidem docuerit in uno, vel altero loco DEIparam cum originali conceptam, ſed poſteà retractaverit, & ultima ipſius ſententia fuerit, Virginem ſine macu a

Con-

Conceptam. Ità ſenſit Bernardinus de Buſtis, qui etiam quandam revelationem hac de re producit. Ioannes Vitalis, qui aſſerit à ſe viſum, & lectum libellum Retractationum D. Thomæ: *in quo inter cætera, quæ in ſuis Operibus iudicavit revocanda, hanc de maculato Virginis conceptu retractavit ſententiam:* Verba ſunt VVaddingi. Vixit autem Vitalis Anno 1390. diverſus à Cardinale Ioanne Vitali qui Anno 1320. claruit. cognominatus de Furno. Eidem opinioni de retractatione D. Thomæ ſubſcribunt VVaddingus, vel potius Antonius à Treio Epiſcopus Carthaginenſis apud illum. Ioannes à Carthagena. Ioan. Bapt. Lezana. Chanal. & alij. Favet Martanellus. Revelatio verò cuius mentionem facit Buſtus, hæc eſt: Dominus Fantinus Epiſcopus Patavinus cùm aliquando 3. partem D. Thomæ perlegeret, & articulum illum attigiſſet, in quo S. Doctor Virginem in originali Conceptam aſſerit: mirari cœpit, quòd tantus, tamque MARIÆ ſtudioſus Doctor de illius Conceptione ità ſeverè cenſuiſſet. Ac tunc quidem S. Thomas ſeſe illi viſendum dedit, eumque ità allocutus fertur: *Scias Domine Epiſcope, quòd quando talem opinionem poſui, ſolùm habui reſpectum ad divinum ſtatutum, quo B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, niſi per Filium ſuum fuiſſet præſervata.* Hanc viſionem reijcit Salazar ex triplici capite. 1. Quia nullo eſt fulta ſufficienti teſtimonio. 2. Quia dicitur D. Thomas agnoviſſe in Virgine debitum contrahendi peccati originalis. 3. Quia interpretatio allata non poteſt commodè aptari articulo illi tertiæ partis D. Thomæ. Econtrà ſunt complures alij, qui Buſtio ſuffragium ferunt, & viſionem ut veram agnoſcunt Ægid. de Præſentatione. Ioannes Vitalis ſup. cit. P. Oieda. Novarinus. Bernal. Carthagena. Miranda. & alij quos libro I. retuli cum de hac agerem revelatione. Hic breviter ad dubia Salazari dico 1. non putem à Buſtio revelationem confictam, ſed neque à Ioanne Vitali; cum uterque habeatur pro viro docto, literato, & pio. 2. quòd S. Thomas agnoverit debitum in Virgine reſpectu originalis peccati, ut paulò poſt oſtendam. Neque enim tam recens eſt debiti huius notitia interTheologos, ut de eo S. Thomas neſciviſſe putetur; cùm ipſomet Salazaro teſte tale debitum agnoverint S. Auguſtinus, & S. Anſelmus: & in terminis Scotus qui proximè ad tempora D. Thomæ acceſſit. 3. quòd dicta interpretatio optimè poſſit aptari non tantum illi loco in 3. parte

Buſt. 1. p. ſer. 7. Vital. in Defenſo. Doncept. VVading. Leg. ſect. 2. or. 9. §. 8. n. 53. Ioan. Carthag. hom. 19. de Concept. §. 6. Lezan. Apol. cap. 21. Chanal ſer. 4. p. 3. Buſtos cit. Salaz. c. 42. ſeculo 13.

Ægid. l. 3. q. 6. a. 4. §. 2. Vital. ſup. Oieda in Inform. c. 4. Novar. Elect. l. 4. Excurſ. 17 Bernal. Diſc. 4. Carthag. ſup.

Miranda q. 23. Serran. lib. 2. cap. 29. n. 8. Salaz. c. 1. §. 8.

te Summæ, ſed pluribus alijs, ut ex dicendis conſtabit. Non eſt proinde cur viſioni fides abrogetur.

V. Quinta Claſſis eſt dicentium, quòd quidem D. Thomas in Scriptis ſuis contrarius fuerit piæ Sententiæ, & docuerit Virginem conceptam cum originali macula; ſed ſi modo viveret retractaret, quæ dixit; & ſi videret modo celebrari feſtum Conceptionis, ſicuti ex feſto Nativitatis concluſit ſanctam Virginis Nativitatem, ità concluderet ex feſto Conceptionis Sanctam Conceptionem. Vnde hi ſupponunt, quòd S. Thomas defacto piæ non ſubſcripſerit ſententiæ, ſed ſolùm oppoſitæ: & ob id revocari poſſent ad 1. Claſſem. Ità ſenſit Ioannes de Ferrario (vel ut alij ſcribunt) de Funario Generalis PP. Prædicatorum, ut teſtantur Ambroſius Catherinus, ex eodem Ordine; Tannerus & alij. Et vix reperias præter paucos Thomiſtas, qui non hoc ipſum ſentiat de D. Thoma. Videatur Epiſtola Catalani, & Opuſc. Catherini. & Ioannes à S. Thoma apud Ciſmontanos. Omnes inquam hoc ſentiunt, quòd ſi modò viveret S. Thomas diſertè pronuntiaret Virginem in ſua Conceptione Immaculatam, & melius explicaret illa, quæ in oppoſitum videtur dixiſſe.

Catherin. de Concep. P. 1. c. 6. Tanner. To. 2. D. 4. q. 7. d. 2. Ciſm. Reg. col. 503.

VI. Sexta Claſſis eorum eſt, qui putant S. Thomam nec faviſſe, nec contrarium fuiſſe piæ opinioni; neque de illa prout defacto in ſcholis diſputatur agere voluiſſe; ſed juxtà principia generalia, ſolùm communes ſententias ſuis Scriptis inſerviſſe. Ità ſenſit Caietanus in Commentarijs ad 3. p. cùm dicat quæſtionem illam *An B. Virgo fuerit ſanctificata in inſtanti infuſionis animæ?* nondum fuiſſe adinventam; licet in hoc fallatur, ut conſtat ex dictis, & magis conſtabit ex dicendis. Porrecta. Soto. Mediña, & alij Thomiſtæ apud Ioannem de S. Thoma etiam videntur huic ſententiæ adfavere, qui poſſunt conſuli.

Caiet. 3. p. q. 27. a. 2.

Ioan. à S. Tho. inf. cit. c. 8.

VII. Septima Claſſis eſt eorum, qui ajunt dubium eſſe, quid D. Thomas de hac Controverſia, quæ modo agitatur de Conceptione paſſiva DEIparæ, non ſolùm ſenſerit, ſed etiam ſcripſerit. Moventur ex eo, quia Opera D. Thomæ diverſimodè impreſſa, variata, truncata reperiuntur, & in quibuſdam Recentioribus Codicibus ea, quæ Immaculatæ Conceptioni favere videbantur, ſublata ſunt: ità ſentit P. Oieda & cum eo Serranus, nec immeritò. Nam ſi vel unum illum locum Commentariorum D. Thomæ in Epiſt. ad Galat. (de quo inf. ſuo loco) requiras, vix in hodiernis editionibus reperias; cùm tamen olim à gra-

à graviſſimis citetur viris, uti ſunt Turrecremata. Catherinus. Dorè Dominicani. Antonius Cucarus. Petrus Caniſius. Salmeron. Michaël Mediolanenſis. alij. unde facilè eſt conjecturam formare, quòd plura alia ſublata ſint ex Operibus ejus: & eodem jure, quo ſublata, etiam adjecta; ut non poſſit niſi dubitari deinceps, non ſolùm quid D. Thomas ſenſerit, ſed etiam quid ſcripſerit.

Turrecr. Tr. de Concept. Cather. Opuſc. de Concept. Dore in Imag. Virtu. Cucar. Elucid. Caniſ. l. 1. c. 6. Salm. Ep. ad Ro. D. 61.

VIII. Ex modò dictis unum quaſi Corollarium elici poteſt, ac obſervari, quod nonnulli PP. Prædicatores debili nimium, & incerto fundamento ſuperædificent; quia ſcilicet ſupponunt certum, & evidens S. Thomam docuiſſe quòd DEIpara ſit Concepta in peccato originali. Et quia jurant in verba Magiſtri, eam ob rem mordicùs adhærent illi ſententiæ, quæ tamen an aliquando à D. Thoma aſſerta fuerit, meritò dubitari poteſt, ac debet: ob tantam Authorum etiam Prædicatorum diſſenſionem de ipſius mente cõtrovertentium, uti ex adductis conſtat. Humaniores ſanè forent in Virginem, & obſequentiores in Magiſtrum, ſi cum pluribus ſentirent, & Præceptorem ſuum Angelicum piè interpretarentur, prout faciunt ante relati hoc §. n. 2. Nam in ambiguis ſenſibus melius eſt humaniorem amplecti ſententiam: quia *proniores eſſe debemus ad abſolvendum, quam ad condemnandum.* Vnde Traianus Auguſtus dicebat: *Satius eſt impunitum relinqui facinus, quàm innocentem damnari.*

l. cum inter §. ſi aut. l. Arr. ff. de act. & obl. l. abſent. de pœn.

§. VII.

Prævia quædam aſſerta ad inveſtigandam veram D. Thomæ ſententiam.

HActenus ex aliorum placitis locutus ſum, jam accedo propius ad meam mentem aperiendam, & ad determinandum quid D. Thomas reipſa docuerit de Conceptione DEIparæ. unde

I. Aſſero 1. Certum eſſe, quòd D. Thomas agnoverit illam quæſtionem in ſcholis hodie communem: *An DEIpara in inſtanti infuſionis animæ ſanctificata ſit.* vel gratiâ præveniente liberata ab originalis peccati macula. Moveor ad hoc aſſe-

rendum 1. quia D. Bonaventura coævus, & familiaris D. Thomæ illam quæſtionem ad longum deduxit, uti ſuprà oſtendi; ergò fuit hæc quæſtio jam tunc in ſcholas introducta; quidquid Caietanus dicat, tempore D. Thomæ nondum fuiſſe adinventam; quis igitur credat D. Thomæ ignotam? 2. Licet D. Thomas quæſtionem hanc ex profeſſo tractare noluerit, fecit tamen expreſſam ejus mentionem ſcribens in Magiſtrum Sententiarum, in utroque ſcripto, tàm in primò, quàm in ſecundo. Et quidem in ſecundo ad Annibaldum (niſi ſit articulus ſuppoſititius, vel depravatus à Succeſſoribus) ſic ait: *Nec in Conceptione ante animæ infuſionem ſanctificata fuit, quia proprium ſubiectum gratiæ ſanctificantis eſt anima: nec in ipſo inſtanti infuſionis animæ, quia ſi ſic non contraxiſſet originale. &c.* ergò iam tunc & ipſo conſcio quærebatur in ſcholis: Vtrùm Conceptio formalis, ſeu infuſio, & creatio animæ Virginis potuerit eſſe, vel fuerit ſancta. Dixi reflexè per parentheſim, *niſi ſit articulus ſuppoſititius*, quia præter ſuprà dicta, etiam infrà de hoc aliquid attingam. Non ſunt igitur audiendi, qui putant tempore D. Thomæ nondum diſputatum de præſervatione Virginis ab originali, aut ſaltem Doctorem Angelicum ejus quæſtionis notitiam non habuiſſe, cùm ex hoc appareat contrarium. Porrò jam de hoc inter Theologos non eſt difficultas; difficilius eſt inveſtigare utrùm D. Thomas agnoverit debitum quod habere dicuntur omnes Adæ poſteri ad contrahendum peccatum originale, & per quod nonnulli volunt ſalvare, quâ ratione B. Virgo redempta fuerit per Chriſtum ſi non contraxit originale actu, quia ſaltem debitricem aſſerunt fuiſſe. Ferd. Salazar ut ſup. §. dixi, cùm Revelationem Fantini Epiſcopi reijcit, negat, quòd D. Thomas habuerit notitiam debiti: *tùm etiam, quià tradit D. Thomam debitum contrahendi originale in Virgine agnoviſſe, quod falſum omninò reor.* Cur autem ita opinetur non affert rationem. Pace tamen illius

Caiet. 3. p. q. 27.

D. Tho. in 3. diſt. 3. ad Annibald.

Salaz. c. 42. ſeculo 13.

II. Aſſero 2. Probabile eſſe, quòd D. Thomas etiam debitum agnoverit, quod habent omnes Adæ poſteri ad contrahendum originale peccatum. Pro quo ſciendum id quod alibi fuſiùs pertractò, quid hujus debiti nomine intelligatur. Et ne longius abeam; accipio ipſiuſmet Salazari definitionem. *Debitum iſtud eſt obligatio. aut neceſſitas moralis contrahendi peccatum originale.* Itá definiunt cum ipſo Caietanus, Corduba, Valentia, Soarez, Vaſquez, Bellarminus & alij. Duplex autem ſtatui-

Salaz. c. 1. ſ. 8. n. 51.

tur

tur communiter debitum *remotum* ſcilicet, & *proximum*. Remotum eſt oligatio illa, quam omnes contraximus in Adamo ceu capite noſtro: proximum verò eſt ipſa illa neceſſitas, quam ſinguli in nobis recipimus ut primùm animamur. Alij aliter expendunt debitum remotum, & proximum: & dicunt quod remotum ſit in ipſo ſemine; quando videlicet in Conceptione materiali ſemen viri in uterum fœminæ deſluit, tunc incipit debitum, & neceſſitas remota; ut is qui poſtea ex tali ſemine formabitur, & animâ donabitur, peccatum contrahat quamprimùm fuerit animatus. Proximum verò dicunt eſſe quod in ipſo animationis inſtanti contrahitur; quia tunc hominem conceptum peccati originalis maculâ reipſa, & actu infici neceſſarium eſt. Et firmatur hæc acceptio authoritate D. Anſelmi: *De immundo ſemine, & in iniquitatibus, & peccatis concipi, ſic intelligi poteſt; non quod in ſemine ſit immunditia peccati, aut peccatum ipſum: ſed quia ab ipſo ſemine, & ab ipſa Conceptione ex qua incipit homo eſſe, accipit neceſſitatem, ut cùm habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quæ non eſt aliud, quàm peccatum, & iniquitas.* Quo ſenſu hæc intelligenda ſint colligere licet ex dictis lib. I. hujus Operis, ubi etiam de duplici debito plura: hic ſufficit notaſſe diviſionem, quam puto quoad utrumque membrum notam fuiſſe D. Thomæ. Nam 1. quod attinet debitum in ſemine vel carne, D. Bonaventura coævus S. Thomæ, clarè: *Si ergò caro illa infecta fuit, ex ſua infectione nata erat animam culpâ originali inficere.* agnoſcit aptitudinem, imò neceſſitatem in carne inficiendi animâ originali peccato; quod nihil eſt aliud, quàm quoddam debitum ut contrahatur peccatum in inſtanti animationis. Ante D. Bonaventuram Magiſter Sententiarum, in quem D. Thomas ſcripſit; ejuſdem debiti meminit: *quod vitium vel corruptio ſit in carne ante coniunctionem animæ, effectu probatur, cùm anima infunditur, quæ ex corruptione carnis maculatur.* quaſi diceret, fœtus ante animationem habet debitum, ut quamprimùm fuerit animatus, contrahat originale. Hoc verò debitum non minùs D. Thomæ notum fuiſſe, quàm D. Bonaventuræ, & Magiſtro; conſtat manifeſtè ex pluribus locis. Vnum adducamus: In 2. Sent. agens de infectione quæ eſt in ſemine, ait: *Dicendum, quod illa infectio, quæ eſt in ſemine, ſicut non habet rationem culpæ, propriè loquendo, ante infuſionem animæ, ità nec pœnæ &c. ſed eſt defectus quidam in quantū ſimilitudo naturæ generantis in ſemine virtualiter manet &c.*

D. Anſel. de Conc. Virg. c. 7.

Bonav. in 3. d. 3. q. 2. n. 15.

Mag. in 2. diſt. 31.

D. Tho. in 2. d. 31. q. 1. a. 1. ad 4.

unde

unde quià per peccatum primi hominis iſta infectio conſecuta eſt in tota natura humana, ideò ubi invenitur ſubiectum ſuſceptivum culpæ, habet rationem culpæ in actu; ſicut in puero iam nato: ubi verò hoc non invenit, manet in tali infectione virtus culpæ, ut ſic cauſa culpæ eſſe poſſit. Eſſe in ſeminis infectione virtutem culpæ, non eſt aliud, quàm eſſe remotum quoddam debitum proveniens à peccato primi parentis, ut, cùm fuerit illud ſemen formatum in corpus, & animatum, adeoque ſubjectum ſuſceptivum culpæ, habeat rationem debiti proximi & cauſet ipſam culpam. Similia verò præmiſerat D. Thomas diſtinctione præcedenti, quæ videri poſſunt; & alibi ſæpius ubi adſtruit, quod hoc ipſo, quià aliquis generatur & deſcendit ab Adam per ſeminalem propagationem, debeat contrahere peccatum originale. Sed clariùs agens de malo in Quodl. facit mentionem debiti, quærendo quomodo oremus dimitti nobis debità noſtra, & ait: peti etiam dimiſſionem *peccatorum vel debitorum, quorum unum eſt neceſſitas generandi cum originali peccato.* Ecce debitum appellavit, quod D. Anſelmus vocat ſolùm neceſſitatem. Vocem verò generandi hic paſſivè ſumit, quia non quærebat in titulo articuli Vtrùm parentes generent cum originali peccato, ſed: Vtrùm poſteri Adæ generentur cum originali peccato. Locutus proinde eſt de debito, quod eſt in illis tunc, quando generantur, propterea ſub diſiunctione poſuit *peccatorum vel debitorum,* quia fœtus ante animationem non eſt ſubjectum peccati, benè tamen debiti remoti, prout explicuimus. Quod autem hic adhibeat verbum activum *generandi,* parùm refert, cùm generare ad generari ſit relativum; & quando dicit quod parentes generent cum originali debito, vel peccato; non intelligit ipſos eſſe ſubjectum debiti, vel peccati, ſed fœtum, qui generatur.

D. Tho. in 2. d. 30. q. 1. a. 2. ad 4. & 5.

D. Tho. de malo. q. 4. a. 6.

III. Quòd debitum remotum in alia ſignificatione, quod eſt in Adamo ceu capite humani generis contractum D. Thomas agnoverit certum etiam eſt, tum 1. quià (ut Salazar docet) nomen, & natura huius debiti non ignorabatur ab antiquis Patribus Auguſtino, Anſelmo, &c. S. Auguſt. debitum appellavit reatum: *Traxit ergò* (homo) *reatum, quia unus erat cum illo, & in illo, à quo traxit.* S. Anſelmus idem debitum vocat neceſſitatem: *In Adamo omnes peccavimus, quando ille peccavit, non quia tunc peccavimus ipſi, ſed quia de illo futuri eramus, & tunc facta eſt illa neceſſitas, ut cùm eſſemus peccaremus.* Hæc à D. Thoma

S. Aug. Ep. 23. ad Bonifac.
S. Anſel. de Conc. Virg. lib. 10. c. 7.

Digitized by Google

ma lecta, & cognita quomodo poſſimus dubitare, cùm & S. Auguſtinum, & S. Anſelmum, & quidem ex his ipſis libris, & locis frequenter citet? tùm 2. quia ipſe etiam D. Thomas ſæpius mentionem facit obligationis illius, quâ per Adam, ut caput naturæ humanæ, omnes homines obligati ſunt ad contrahendum originale peccatum in ipſo inſtanti animationis. Clariſſimè, ubi quærit *Vtrùm ſit neceſſe omnes homines naſci in peccato originali.* Ipſa neceſſitas naſcendi in peccato originali, eſt debitum contrahendi peccatum originale. Et in corpore articuli: *Dicendum, quod neceſſarium eſt omnes, qui ex Adam generantur per viam coitus, peccatum originale trahere. Cuius ratio ex dictis accipi poteſt.* Vbi mox explicat in quo conſiſtat illud debitum: *Ad eſſe enim originalis duo concurrunt, ſcilicet defectus quidam, principia naturæ humanæ conſequens; & iterùm quòd fuerit in poteſtate naturæ, ut iſto defectu careret, vel non: ſine quo ratio culpæ in hoc defectu non eſſet. Vtrumque autem neceſſarium eſt inveniri in illis, qui ex Adam per modum dictum generantur.* Similia legere eſt apud D. Thomam in alijs quoque locis. Illum prætercire non debeo, in quo expreſsè hac voce *debitum* uſus eſt. In 4. Sententiarum proponit argumentum, quòd DEVS aliquando præſtiturus ſit Eccleſiæ, ut naſcantur homines abſque originali, eo quod Eccleſiæ preces fruſtari non debeant, quæ petit remitti ſibi non ſolùm peccata, ſed etiam debita. Ad quod reſpondet: *Hoc eſt erroneum dicere, quod aliquis ſine originali peccato concipiatur præter Chriſtum, quia ſic non indigeret redemptione per Chriſtum. &c. Oportet autem ponere, quòd quilibet perſonaliter redemptione Chriſti indigeat, non ſolùm ratione naturæ: liberari autem à malo, vel à debito abſolvi non poteſt, niſi qui debitum incurrit, vel in malum deiectus eſt.* Quid clarius ad propoſitum adduci poſſet! non ſemel, ſed iterùm ſub diſiunctione ponit ipſum malum, ſeu peccatum, & debitum ſeu obligationem de qua loquimur. Et niſi taliter intelligâtur falſum erit, quod ſit erroneum dicere aliquem ſine originali concipi præter Chriſtum, ſaltem poſt Sixtinas Conſtitutiones & Concilium Tridentinum. Vt ergò ſalvetur D. Thomæ propoſitio, & correctione non indigeat, ſic intelligi debet, ut cùm omnes indigeant redemptione Chriſti, ſaltem debitum incurrant, licet non omnes actu in malum deijciantur. Hoc advertit doctiſſimus Ioannes à S. Thoma, eiuſdem Ordinis cum Angelico Doctore, qui dixit ad præfati loci explicationem: *Pondera quòd ad liberationem per Chriſtum diſiunctivè*

D. Tho. in 2. d. 31. q. 1. a. 2. in Sol

D. Tho. ib.

D. Tho. in 4. d. 43. q. 1. a. 4. ad 3. Et 3. p. in Add. q. 78. a. 1. ad 3.

Ioan. à S. Tho. in 1. p. To. 1. Diſp. 2. a. 2

ſtivè poſtulat D. Thomas vel debitum , vel culpam in eo, qui redimendus eſt. Et paulò ante dixerat: *Ecce diſtinguit contrahere malum, vel debitum tantùm.* Et paulò poſt hanc diſiunctionem applicat illis locis D. Thomæ in quibus videtur S. Doctor aſſerere DEIparam conceptam cum originali, inquiens: *Ergò ſi ſufficienter ſalvat D. Thomas redemptionem per Chriſtum in aliquo, qui ſolùm naſceretur cum debito; non amplius requirit, quando loquitur de Virgine, & infert pro inconvenienti; quia aliàs non indigeret redemptione per Chriſtum; intelligit enim, quod non indigeret ſi conciperetur ſine debito, aut ſine peccato: non tamen ſi conciperetur ſine peccato, dummodò conciperetur cum debito in perſona.* Sed ne hic longiùs iſtis immoremur videnda de hoc plura inf. §. 11. n. 1. & ſeqq.

Ioan. à S. Tho. ib.

IV. Aſſero 3. Probabile eſſe, quòd D. Thomas etiam agnoverit præſervationem Virginis ab originali macula, ſive exemptionem per privilegium, ejuſque poſſibilitatem, & modum. Colligo id tum ex loco ſup. citato, in quo dicit peti dimiſſionem *peccatorum vel debitorum, quorum unum eſt neceſſitas generandi cum originali peccato;* ubi addit præterea: *cùm ergo inconveniens ſit dicere, quod oratio totius Eccleſiæ non exaudiatur; videtur quod aliqui, in hac temporali vita, generare poterunt filios ſine originali peccato.* Supponit proinde poſſibilem caſum Conceptionis ſine peccato originali non tantum activæ, ſed etiam paſſivæ, quod fieri non poteſt ſine exemptione à lege ordinaria & univerſali. Videatur etiam alter ſimilis locus, quem infrà §. 9. expendimus. Deinde cùm proponat tàm in Sententijs, quàm in Summa quæſtionem illam: *Vtrùm B. Virgo fuerit ante ſanctificata, quàm Conceptio eius finiretur?* quæ eſt quæſtio de ſanctificatione ſeminis vel carnis, ſupponit etiam ab aliquibus aſſertam præſervationem animæ à macula originali, cujus præſervationis unus modus ab antiquis eſſe dicebatur ſanctificatio fœtus ante animationem, de quo alibi agimus. Videntur hocipſum advertiſſe celebres Thomiſtæ Seraphinus Porrecta, & Ioan. à S. Thoma: quorum iſte ſic ait: *Illud eſt præ oculis habendum, ipſum* (S. Thomam) *benè advertiſſe omnes modos, quibus poterat contingere iſta Sanctificatio Virginis, non ſolùm modo ordinario, ſicut fit in alijs hominibus ex peccato, ſed etiam præſervatione, ne in illud incideret, aut etiam per gratiam aliquam ante animationem, vel collatam animæ, vel purificantem materiam ſeminalem, aut embryonem.* Similia apud Porrectam leguntur. Quibus verbis breviter complexus

D. Tho. de malo. q. 4. a. 6.

D. Tho. in 3. d. q. 1.

Porrecta 3. p. q. 27. a. 3.
Ioan. à S. Tho. ſup. ci.

xus

xus eſt omnes ferè veterum ſententias, quæ docebant Immaculatam Conceptionem DEIparæ ex eo, quia vel parentes fuerunt ſanctificati antequam generarent, vel ſemen fuit purificatum, vel fœtus ãte animationem mundatus ab infectione apta nata animam in conjunctione ſui cum illa inficere, vel ipſa anima ſancta creata. Quem verò modum præſervationis, ex jam relatis amplexatus ſit D. Thomas, inveſtigabimus deinceps in dicendis.

V. Aſſero 4. D. Thomam de Conceptione B. Virginis obſcurè aliquantum, & diſſimulanter ſcripſiſſe; adeoque qui velit veram, & genuinam ejus in hoc puncto ſententiam inveſtigare, ſolerti ſtudio plura ex ipſius Operibus pervoluat, ac combinet neceſſe eſt. Moveor ad hoc aſſerendum 1. Quia, ut ex dictis apparet, tàm varia de illo ſentiunt graviſſimi viri, & celeberrimi Theologi, quorum aliqui pro pia, alij pro oppoſita illum ſtetiſſe affirmant: alij modo huic, modo illi adhæſiſſe putant; &c. quod profectò in aliam cauſam refundi non poteſt, quàm quia mentem ſuam non ſatis clare explicuit cùm de præſenti myſterio loqueretur. 2. Quia ſi verborum ipſius rigori inſiſtatur, non uno in loco negare videtur Immaculatam Conceptionem; ſi verò principijs & rationibus ab ipſo poſitis, & plurium locorum combinationi quiſpiam inhæreat, fateri debebit eum vice verſa agnoviſſe, & profeſſum eſſe MARIAM ſine originali labe conceptam. Vnde rectè meo judicio Serranus dixit: *Licet pro contraria parte communiter, ut anteſignanus adducatur; vel quæſtionem, quam diſputavimus nòn tractavit, vel ſi tractavit, in ea iuxtà ſui nominis expoſitionem geminus, ſive dubius manſit, aut noſtræ adhæſit doctrinæ.* Dixi, ſi verborum ipſius rigori inſiſtatur negare videtur Immaculatam Conceptionem, quia certè illa propoſitio *B. Virgo in originali peccato concepta fuit*, quam non ſemel repetit, primâ fronte & in rigore verborum negat Conceptionem ſine macula: ſi verò perpendatur ejus ratio propter quam id aſſeruit, planè oppoſitum evincitur. Nam ſubdit: *propter quod B. Bernardus ſcribit ad Lugdunenſes Conceptionem illius celebrandam non eſſe.* De quali verò Conceptione S. Bernardus ſcripſerit ad Lugdunenſes manifeſtum eſt ex ipſamet Epiſtola, & nos ſuprà notavimus, nempe de Conceptione materiali ſeu ſeminali, in qua admitti poteſt fuiſſe peccatum originale eo modo, quo eſſe potuit, cauſaliter nimirum, non formaliter, & debitum remotum, dicens ordinem ad actualem maculam futuram in inſtanti animationis, quod piæ ſententiæ non officit.

Serran. l. 2. cap. 29. n. 1.

D. Tho. in 3. d. 3. q. 1. art. 1. & 3. p. q. 27. art. 2. ad 2. & ad 4.

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 2. ad 2.

Similiter quando dicit: *Si nunquam anima B. Virginis fuiſſet contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Chriſti:* videtur abſolutè ſupponere ipſam aliquando fuiſſe inquinatam; ſed ſi rationem quam addit, expendas; id non ſequitur, uti fatentur ipſimet ejus diſcipuli; ait enim: *hoc derogaret dignitati Chriſti, ſecundùm quam eſt univerſalis omnium Salvator.* & ſuprà dixerat: *quocunque modo ante animationem B. Virgo ſanctificata fuiſſet, nunquam incurriſſet maculam originalis culpæ, & ita non indiguiſſet redemptione, & ſalute, quæ eſt per Chriſtum.* Ratio igitur propter quam videtur aſſerere contagio originalis culpæ inquinatam, eſt hæc; quia niſi fuiſſet inquinata, non fuiſſet redempta per Chriſtum, quod derogaret dignitati Chriſti. Sed hæc ratio non convincit animam ipſius actu debuiſſe maculâ peccati inquinari, quia redemptionis modus non eſt tantum unus ille quo deletur in ſubjecto præexiſtens peccati macula, verùm etiam quo prævacetur talis macula, & præſervatur anima ne illam incurrat. Ex quibus omnibus conficitur, quod S. Thomas ſaltem obſcurè & dubiè locutus ſit de Immaculata Conceptione. Et quia quidquid in hac materia dixit, totum facilè pro pia opinione explicari poteſt, hinc priuſquam id præſtem, inquiram cauſas, propter quas paulò obſcuriùs locutus fuerit, cùm de Conceptione Virginis ageret.

VVading. ſect. 2. orat. 4. Legatio.

VI. Antonius à Treio Carthaginen. Epiſcopus in Legatione Regis Catholici apud VVadingum ſupponens D. Thomam utique adhæſiſſe ſententiæ plures congerit cauſas, propter quas varias fuerit S. Doctor; ait enim: *Si in 3. p. q. 27. ſuæ ſumma, & alibi dixit contrarium, hoc nõ tàm fuit mutare Sententiam, quàm propter ſummam ſemet continere modeſtiam, nec tàm dictum voluit corrigere, quàm ſemet parùm colligere, ne temerè aliquid concederet, quod tunc non viderit ab Eccleſia probatum. Retardavit itaque eum à negativa firmiter tenenda, communior ſui temporis doctrina, & licet quorundam Eccleſiarum cultu urgeretur, tamen feſtum illud tunc temporis adhuc non erat ab Eccleſia Romana univerſaliter inſtitutum; nec quo ſenſu deberet coli à Pontifice declaratum. Præterea, quando pro affirmativa ultimum protulit S. Doctor iudicium, non ſatis diſcuſſa erat controverſia, nec plures extabant inter Scholaſticos, qui validè, & tenaciter negativam propugnarent Sententiam: non erant, qui obiicerent, qui examinarent inter ſe eâ curâ ac diligentiâ, quâ his ſeculis factum eſt, Sanctorum Patrum, & ſacræ Scripturæ teſtimonia. Adhuc non erat pro negativa Sententia clarus. aut manifeſtus*

nifeſtus

nifeſtus Eccleſiæ ſenſus; non aderat pro ea tunc unanimis, quem modò perſpicimus fidelium conſenſus. &c. Ante Treium Ambroſius Catherinus de D. Thomæ ſententia differens: *S. Doctor eo lumine veritatis, quo interius afficiebatur, hoc aliquando probavit, quod & nos ſentimus. At quia tunc erat alia communis Magiſtrorum doctrina, cui etiam antiquorum ſententia adſtipulari primâ facie videbantur, neque Dei Eccleſia quidquam interloquuta erat hac de re, ipſe (ut erat verè humilis) maluit hoc ſpiritu impulſus, aliorum ſenſui cedere, quàm proprium retinere. &c.* Gulielmus Pepin eiuſdem ordinis cum Catherino & S. Thoma: *& quamvis in 3. partem aliter ſenſerit nihilominùs excuſandus eſt, eoquod tunc loquebatur ut plures.* Accedat tertius D. Thomæ Diſcipulus Ioannes à S. Thoma: *De perſona verò concepta an fuerit privilegiata, non obſtante actione ipsâ ſeu activâ Conceptione, quæ de ſe in peccatum ruebat D. Thomas non multùm tractavit; etſi loquendo de opinionibus, quæ ſuo tempore iam currebant, de utraque locutus ſit probabiliter, ſicut illo tempore debebat loqui propter Romanæ Eccleſiæ auctoritatem, nondum tunc poſitivè faventis, ſed ſolùm permittentis opinionem piam. &c.* Aliquantum propriùs ad metam Nierembergius cùm ſtatuiſſet: *Evidens eſt eum locutum fuiſſe, ſaltem diverſimodè; niſi dicamus ſemper fuiſſe firmum in Sententia pia;* rimatur cauſas varietatis: *Porrò hæc varietas ſiqua fuit, non proceſſit ex levitate, aut fluctuatione animi vacillantis; nec ob perplexitatem; aut ob difficultatem huius myſterij, quæ eum de illius veritate pendulum feciſſent: ſed duntaxat ex eo evenit, quod voluit ſe accommodare Doctoribus Pariſienſibus, qui tenore decreti Mauritij Epiſcopi Pariſienſis ſuum ſenſum palàm non expromebant: quapropter in occaſionibus, quæ ſe obtulerunt, locutus eſt, quod ſuæ prudentiæ viſum eſt, iuxtà exigentiam illius temporis ac loci.* Ex his modo allatis facilè conjectura formari poteſt, cur D. Thomas obſcuriùs (uti diximus) in materia de Conceptione DEIparæ locutus ſit: & quod iſti Authores ſentiunt de varietate, nos de obſuritate poſſumus conjectare, cùm non putemus varium aut inconſtantem fuiſſe, & idem modo affirmaſſe, modo negaſſe. Dico igitur quod D. Thomas non ſatis clarè & expreſsè adſtruxerit DEIparam ſine macula originali conceptam, tametſi in plurimis locis eam inſinuaverit has poſſe aſſignari meritò rationes 1. quia in Scriptis ſuis non aliud tradere intendebat, quàm communes ad id uſque temporis in ſcholis receptas ſententias, quas inter nondum erat illa de animatione Virginis ſine macula originali. Diſputabatur

Cather. Opuſc. de Concept. lib. 2.

Io. à S. Tho. ſup. cit.

Nieremb. Except. c. 21.

Digitized by Google

quidem jam tunc de inſtanti Conceptionis, uti tùm ex D. Bonaventuræ, tùm ex ipſiuſmet Angelici Doctoris Operibus collegimus, ſed nondum erat communis Sententia, propterea maluit illam inſinuare quàm clarè tradere. 2. Quia habuit reſpectum Decreti Pariſienſis, & Scholæ illius illâ ætate florentiſſimæ: quod decretum licet ſolùm de Conceptione ſeminali latum, putabatur tamen à nonnullis extendi ad illam quæſtionem: *An B. Virgo fuerit præventa à gratia, & in ipſa ſui animatione ſancta?* Vnde licet de hac etiam quæſtione aliqui tractarent in ſcholis, communiter tamen inclinabant in negativam ejus partem. D. Thomas verò maluit de ea obſcuriùs loqui, quàm vel negarè cũ communi, & Marianum honorem imminuere; vel affirmare particulari doctrinâ, & videri affectare novitatem, aut ſingularitatem. 3. Quia nondum conſtabat de ſenſu Romanæ Eccleſiæ, cujus determinationem (ſicuti ante ipſum S. Bernardus) hac in quæſtione exſpectabat, dicturus aliàs citrà omnem vacillationem de Conceptione formali Virginis, ſive de ejus Nativitate in utero, quod dixit de Nativitate ex utero, quòd ſcilicet fuerit ſancta, & Immaculata ſine labe originali. Et quamvis non uno in loco clarè & expreſsè tradat piam ſententiam S. Thomas, in genere tamen de tota ejus circa hoc punctum doctrina loquendo, & conferendo omnia loca, in quibus de hac materia indirectè aliquid dixit, fatendum eſt, illum obſcurum fuiſſe; nec ſe ſatis aperuiſſe.

VII. Aſſero 5. D. Thomas Doctor Angelicus in plurimis locis ſuorum Operum inſinuavit, docuit, & aſſeruit B. Virginem eſſe conceptam ſine macula originali, eſſe exemptam ſpeciali privilegio ab univerſali lege, fuiſſe ſanctam in inſtanti infuſionis animæ ſive in Conceptione formali. Imò quod amplius eſt D. Thomas nuſquam docuit, quod DEIpara in ſui animatione actu contraxerit maculam originali peccati. Dicerem etiam, quod Treius dixit ad Paulum Pa. V. D. Thomam *inter Scholaſticos primum piam Scriptis commendaſſe ſententiam*, niſi & Magiſtrum Sententiarum putarem pro eadem ſteteſſe, uti ſupra inſinuavi, & certus eſſem de S. Doctoris Præceptore Alexandro Alenſi, quod eidem ſententiæ ſuffragium tulerit, ſi non in Commentarijs ad Magiſtrum Sent. ſaltem in peculiari libello, de quo alibi. Porrò hæc aſſertio, quæ totius hujus Capitis ſcopus eſt, duas habet partes. Vna eſt, quod D. Thomas docuerit piam ſententiam; altera verò, quòd nunquam docuerit oppoſitam. Hoc opus, hic

Treio apud VV add. Legat. ſect. 2. orat. 4. Felix de pecc. c. 11. Diſſ. 2. dub. 3. & alij paſſim

labor

labor jam eſt oſtendere , & probare quod aſſeritur. Aliquot in hujus aſſerti gratiam præmiſſi ſunt paragraphi, plures ſubſequentur, in quibus breviter, & ſuccinctè, prætermiſſis objectionibus, & impugnationibus, conabor evincere, quod affirmo ; & (ut cum Ioanne à S. Thoma loquar) *Sicut D. Thomas ab alijs auctoribus in ſuum ſenſum adducitur, ità nobis licebit verum illius ſenſum indagare.* Admitto autem omnia Opera, quæ ipſi attribuuntur, licet de aliquibus meritò poſſem dubitare. Sit igitur. *Io. à S. Tho. cit. a. 2. init.*

§. VIII.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe originali Conceptam. Ex Thomo VI. Operum.

LOCVS 1. 2. 3.

ORdior à Tomo Sexto Operum Doctoris Angelici, qui continet Primum Scriptum in 1. & 2. Sententiarum, ommiſſis prioribus, qui Philoſophiam concernunt, ſervaturus deinceps ordinem, quem Romana Editio in Divi Operibus diſpoſuit. Erunt igitur argumenta promiſcua, partim inſinuativa, partim aſſertiva, partim deducta ex principijs poſitis, prout ſcilicet librorum, & Operum ordo tulerit. In primo Sententiarum occurrit

I. Primus Locus : *Ad illud, quod obijcitur de B. Virgine dicendum eſt, quòd differt puritatis augmentum, & charitatis. Augmentum enim puritatis eſt, ſecundùm receſſum à contrario : & quià in B. Virgine fuit depuratio ab omni peccato , ideò pervenit ad ſummum puritatis ; Sub DEO tamen, in quo non eſt aliqua potentia deficiendi, quæ eſt in qualibet creatura quantum in ſe eſt. Charitatis autem augmentum eſt per acceſſum ad divinam bonitatem, & ideò non habuit B. Virgo ſummam charitatem , quâ maior non poſſit intelligi, quia etiam profecit in charitate, & gratia.* *D. Tho. in 1. diſt. 17. q. 2. a. 4. ad 3.* *Locus 1.*

Hic locus utcunque clarus, plura continet argumenta, qui-

bus

Digitized by Google

Probatio 1. bus adſtruitur innocentia DEIparæ originalis. Et 1. quidem vis argumenti eſt in aſſignata diſparitate augmenti puritatis, & charitatis: charitatem ſupponit augmentabilem in infinitum, adeoq; non dari tam perfectam, quin ſemper dari poſſit perfectior; puritatem verò tantam adſtruit eſſe poſſibilem, ut major ſub DEO nequeat intelligi, & talem puritatem affirmat fuiſſe in Virgine. Ratio diſparitatis eſt, quia puritas augetur per receſſum à contrario, charitas verò per acceſſum ad DEVM: receſſus à contrario conſiſtit quodammodo in indiviſibili, quia hocipſo, quòd quis recedat à malo, & à peccato, purus eſt; & ſi recedat ab omni peccato, tam purus eſt, ut purior eſſe non poſſit. Acceſſus econtrà ad DEVM non conſiſtit indiviſibili, ſed quantumcunque quis accedat ad DEVM, ſemper adhuc habebit, ut poſſit magis accedere, & illi ſe conjungere; cùm ſit limitatæ virtutis, & DEVS illimitatæ perfectionis: unde ſiquis vellet charitatem in ſummo ergà DEVM habere, deberet tantùm DEVM diligere quantùm diligibilis eſt, & quia infinitè diligibilis eſt, non poteſt ità diligi à creatura finitæ virtutis, & perfectionis; adeoq; dato quocunq; gradu charitatis in creatura, ſemper erit poſſibilis major, & major. Aliud eſt de augmento puritatis, in qua perveniri poteſt in hoc rerum ſtatu ad gradum perfectiſſimum, quo major dari non poſſit, quià terminus à quo, quem puritas reſpicit, eſt peccatum; à quo ſi totaliter recedatur, hocipſo habetur puritas in ſummo. Ex hac doctrina ſubſumit D. Thomas: B. Virgo receſſit totaliter ab omni peccato, ergò pervenit ad ſummum puritatis, quæ dari poteſt in hoc rerum ſtatu. Et quià ſubſumpta propoſitio univerſalis eſt, ſupponit pro omni eo, quod habet rationem peccati, & licet dicere: receſſit ab actuali mortali, ab actuali veniali, ab actuali originali: ergò in Conceptione ſua formali fuit immunis, & libera ab originali labe. Argumentum mihi videtur clariſſimum, licet S. Doctor non faciat mentionem originalis peccati, aut Conceptionis. Et quidquid effugiorum quæritur à nonnullis oppoſitum ſentientibus, id vanum eſt. 2. Ex illa Divi Thomæ propoſitione formari poteſt hoc argumentū: In B. Virgine fuit depuratio, & receſſus ab omni peccato, ut pervenerit ad ſummum puritatis infrà DEVM poſſibilis; atqui ſi aliquando fuiſſet maculata originali peccato, vel per unicum inſtans indiviſibile, non receſſiſſet ab omni peccato, nec perveniſſet ad ſummum puritatis infrà DEVM poſſibilis, ergò ut vera

ſit

ſit D. Thomæ propoſitio dici debet, quòd pro nulla differentia temporis B. Virgo maculata fuerit originali peccato. major eſt D. Thomæ. minor probatur: Puritas ſumma ſub DEO illa eſt, ut ipſe S. Doctor hoc loco innuit, quæ ità recedit ab omni peccato, ut præter nudam potentiam deficiendi, nihil habeat defectibile; ſed talis puritas eſt ſolùm illa, quæ excludit non ſolùm omne peccatum perſonale, ſed etiam originale quoad actualem maculam, ergò talis puritas fuit in B. Virgine; ergò ſi B. Virgo aliquando maculata fuiſſet originali peccato, vel per unicum indiviſibile inſtans, non perveniſſet ad ſummum puritatis infra DEVM poſſibilis. Hanc fuiſſe mentem S. Doctoris hoc loco, patet tùm ex contextu, tùm ex ipſo argumento, tùm ex alio ſimili loco, quem paulò poſt adducam; unde hic non immorabor: Solùm 3. obſervo, quòd hic D. Thomas pluribus inculcet Innocentiam originalem DEIparæ, licet univerſaliter loquatur. Nam dicit: *In B. Virgine fuit depuratio ab omni peccato*, quod ſolum ſufficiens eſſet ad aſſerendam Immaculatam Conceptionem: ſed non contentus iſto, adjungit: *pervenit ad ſummum puritatis*, quo idem iterùm confirmat. Imò addit, & tertium: *Sub DEO tamen, in quo non eſt aliqua potentia deficiendi.* ut omne omninò actuale peccatum excludat tàm perſonale, quàm originale, & ſolam deficiendi ſeu peccandi potentiam Virgini relinquat; ut potuerit quidem *quantum in ſe erat* deficere, & actualiter labi in originale, imò & perſonale peccatum, ſed nunquam tamen lapſa ſit. Habemus igitur jam unum locum, ex quo colligimus Divum Thomam piæ ſententiæ de Immaculata Conceptione Virginis tuliſſe ſuffragium.

II. Alter locus eſt in 1. diſt. 44. ubi S. Doctor DEIparæ quandam infinitàtem tribuit. Quærit enim in Articulo: *Vtrùm DEVS potuerit facere humanitatem Chriſti meliorem, quàm ſit?* & eadem occaſione, utrùm potuerit facere aliquid melius B. Virgine: *Videtur, quod nec B. Virgine, quia ſecundùm Anſelmum decuit, ut Virgo, quam DEVS unigenito Filio ſuo præparavit in Matrem, eâ puritate niteret, quâ maior ſub DEO nequit intelligi; ſed nihil poteſt DEVS facere, quod ſibi in bonitate, vel puritate æquetur; ergò videtur quod nihil melius B. Virgine facere poſſit.* Reſpondet deinde, & concludit: *Bonitas creaturæ dupliciter conſiderari poteſt: aut quæ eſt ipſius in ſe abſolutè, & ſic qualibet creatura poteſt eſſe aliquid melius: aut per comparationem ad bonum increatum, & ſic dignitas creaturæ recipit quandam infinitatem ex infinito cui com-* *D. Tho. in 1. diſt. 44. q. 1. a. 3.* *Locus 2.*

N para-

paratur; ſicut humana natura, in quantum eſt unita DEO, & B. Virgo in quantum eſt Mater DEI. Et ſubdit poſt paucula: *quantò nobiliori comparatione in DEVM refertur, nobilius eſt; & ſic humana natura in Chriſto nobiliſſima eſt, quia per unionem comparatur ad DEVM; & poſt B. Virgo, de cuius utero caro divinitati unita, aſſumpta eſt, & ſic deinceps.* Cui diſcurſui hæc ineſt energia.

Probatio 2. Creatura, quà talis nunquam datur perfectiſſima, & tam perfecta, quin perfectior ſemper à DEO produci poſſit: datur tamen creatura perfectiſſima, & qua melior à DEO produci non poſſit, ſi per unionem aliquam, & conjunctionem comparetur cùm infinito: & ſic humana natura in Chriſto, non quidem ſecundùm ſe, ſed per comparationem ad DEVM, ſive in quantum eſt unita DEO, eſt nobiliſſima, & perfectiſſima; habet quandam infinitatem. Poſt illam verò proximum perfectionis locum obtinet, & habet quandam infinitatem, ex termino ad quem comparatur, B. Virgo; quatenùs Mater Filij DEI: & poſt hanc cœtera. Argumentum hoc à Maternitate Virginis deſumptum ad probandam omnem dabilem, & ſummam perfectionem, in qua etiam Innocentia originalis contineri debet, eſt fundamentum omnium Aſſertionum Theologicarum de DEIpara. Quidquid enim MARIÆ attribuunt ſiue Patres, ſive Theologi, omne id attribuunt propter maternitatem eiuſdem, quâ Mater effecta eſt Filii DEI. Vnde rectè infert D. Thomas. B. Virgo nobiliſſimâ comparatione refertur in DEVM poſt humanam naturam Chriſti, quia eius Mater effecta eſt; ergò poſt humanam naturam Chriſti habet maximam quandam infinitatem perfectionis, adeò ut DEVS tali Matre, cum tali comparatione conſideratâ, meliorem producere non poſſit. Ex quibus breviter arguo 1. B. Virgo ſecundùm S. Thomam habet quandam infinitatem perfectionis propter maternitatem, ergò fuit immunis, & libera ab omni macula originalis peccati; cùm immunitas ejuſmodi contineatur in illa infinitate perfectionis. 2. Iuxtà commune axioma Philoſophorum: *Infinitum eſt illud, cui nihil deeſt;* ergò infinitū in perfectione imaginabili ſub Chriſto, eſt illud, cui nihil deeſt perfectionis ſub Chriſto; ſed tale infinitum perfectionis reperitur in B. Virgine (vel infinitū puritatis prout poſuit in obiectione) ergò nihil perfectionis vel puritatis imaginabilis deeſt B. Virgini. Atqui perfectio illa ſeu puritas, quæ eſt Innocentia originalis, & immunitas ab actuali infectione peccati, licet non ſit im̄unitas à debito illius, eſt imaginabilis ſub DEO,

ſub

Digitized by Google

ſub Chriſto; ergò talis defacto fuit in B. Virgine. Subſumptum probatur, quia per hoc quòd Virgo non fuerit infecta originali peccato in ſua Conceptione, non æquiparatur Chriſto; quia Chriſtus nec potentiam quidem habuit ad contrahendum originale peccatũ, in B. Virgine verò potentia talis admitti poteſt, & debitum ſaltem remotum; licet actu non contraxerit originale, ac proinde ſufficienter eius puritas erit ſub DEO, ſub Chriſto. 3. Siquidem hoc argumentum à maternitate Virginis deſumptum ſæpius recurret, hic ſolùm adijcio, quod Alexander Pa. V. ante Pontificatum de hoc argumento & ante ipſum ab ipſo citatus Petrus Aureolus Card: ſenſit. Expendens enim illam ſententiam Auguſtini: *De MARIA credendum non videtur, nec æſtimabile illud; cuius æſtimationem procul pellit, inæſtimabile munus, quod accepit.* Statim ſubiungit ex ſuo ingenio: *ſed certũ eſt, quòd Maternitas DEI, cauſalitas omnis gratiæ, principatio diuinæ pacis, charitatis, & amicitiæ, repellit æſtimationem omnis peccati. Inæſtimabile enim eſt, principium amicitiæ eſſe filiam odij; principium charitatis & pacis, eſſe filiam iræ; Matrem DEI, eſſe ſervam peccati. Ergò hoc omninò eſſe non debuit ſecundùm Auguſtinum.* Et certè ſi meritò Virginem appellare poſſumus cum Dionyſio Carthuſiano *Patri æterno comparentalem*, cur non etiam agnoſcamus cum D. Thoma quodamõdo *infinitè dignam ex infinito cui comparatur, in quantum eſt Mater DEI*, ac conſequenter etiam aliquatenùs *Patri æterno compuram*, id eſt inter puros homines tam puram, ut purior ſub DEO intelligi nequaquam poſſit, tàm puram ut nec originalis quidem maculæ contagione infecta fuerit. Atque ita habemus alterum D. Thomæ teſtimonium pro Innocentia Virginis originali.

Aug. ſer. de Aſſumpt. V.
Pet. de Cand. in 3. ſent. ex Pet. Aur. Tract. de Conc.
Carthuſ. in cap. 1. Luc.

III. Tertius locus habetur ibidem, & eſt repetitio primi cum expreſſa determinatione, quod tam pura fuerit Virgo parens, ut etiam immunis fuerit à macula originali. *Dicendum, quòd puritas intenditur per receſſum à contrario, & ideò poteſt aliquid creatum inveniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nullâ contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit: fuit tamen ſub DEO, in quantum erat in ea potentia ad peccandum. Sed bonitas intenditur per acceſſum ad terminum, quod in infinitum diſtat, vnde quolibet finito bono poteſt aliquid melius fieri.* Quid amplius deſideremus à Doctore Angelico teſtimonij pro Innocentia Virginis originali? Certè hic locus tàm evidens eſt aſſertio piæ ſententiæ,

D. Tho. in 1. d. 44. q. 1. a. 3. ad 3.
Locus. 3.

Digitized by Google

ut ipſimet adverſarij fateri cogantur. Et licet de toto genere
eius doctrinæ loquendo in hac materia obſcurum fuiſſe pro-
nuntiauerim, cùm non paucas pro pia ſententia aſſertiones,
alijs apparenter oppoſitis, ceu Solem nubibus obfuſcaverit; ni-
hilominus hic eum clariſſimè pro Immaculata Conceptione
ſtetiſſe, cum omnibus ferè Theologis, pronuntio. Ipſimet Tho-
miſtæ, qui ferè ſoli (non tamen omnes) negant S. Doctorem
nobiſcum ſenſiſſe, hunc locum pro Immaculata Conceptione
facere, eoipſo fatentur, quòd dicant: ſtandum eſſe doctrinæ e-
ius in ſumma traditæ, quæ eſt ultima voluntas, & teſtamentum
S. Doctoris; nec curandum quid ſcripſerit in primum ſenten-
tiarum. Ità quippe communiter reſpondere ſolent, cùm illis
obijcitur iſte locus. Sed age expendamus S. Doctoris verba, &
Probatio 3. plura ex ijs eruamus argumenta. Primò quidem, cùm Doctor
Angelicus ſibi objecerit authoritatem S. Anſelmi: *Decuit ut Vir-*
S. Anſel. lib. de Concept. Virg. *go eâ puritate niteret quâ maior ſub DEO nequit intelligi*, eamque
uti jacet admiſerit, concedendo B. Virginem debuiſſe tàm pu-
ram eſſe, ut ſub DEO purior eſſe non poſſet; eo ſenſu dicendus
eſt authoritatem admiſiſſe, quo ſenſu a Scholaſticis tunc tem-
poris accipiebatur; ſed certum eſt, quòd ipſius tempore ſcho-
laſtici (licet pauci) qui aſſerebant Virginem ſine originali pec-
cato Conceptam, aſſertionem ſuam probaverint ex hac eadem
Bonav. in 3.d.3.q.2. S. Anſelmi authoritate, (uti patet in D. Bonaventura, qui pri-
mum argumentum pro pia Sententia ex illa deſumpſit) ergò D.
Thomas in hoc eodem ſenſu hanc authoritatem admiſit, ergo
hocipſo aſſeruit DEIparam ſine macula conceptam. Secundò
cùm ſit idem hic locus cum eo quem ſupra retulimus n. 1. ea-
Probatio 4. dem hic recurrunt argumenta pro intelligendo ſenſu D. Tho-
mæ. Tertiò ſpecialiter hic conſiderandum, quòd S. Doctor aſ-
ſerat *nihil purius eſſe poſſe in rebus creatis*, *B. Virgine*, ſed ſi B.
Virgo aliquando maculata fuiſſet originali maculâ, potuiſſet
eſſe aliquid purius ipſa, nempe talis creatura rationalis, quæ
nunquam macularetur ullo peccato etiam originali, qualem
non implicare alibi clare ſupponit; ergò ex mente, & doctrina
S. Thomæ B. Virgo nunquam fuit maculata originali peccato.
Probatio 5. Quartò: particula illa *nullâ* eſt negativa, & univerſalis: nega-
tiones autem ſunt malignãtis naturæ quæ negant quidquid poſt
ſe inveniunt: cùm ergò dicat S. Thomas B. Virginem *nullâ con-*
tagione peccati inquinatam fuiſſe, liberat eam ab omni omninò
contagione peccati, ergò etiam à contagione peccati originalis.

Quin-

Quintò maximè notanda ſunt illa: *à peccato originali, & actuali immunis fuit*, quæ ſunt explicativa ſuperiorum, & clarè decernentia pro Innocentia DEIparæ. Nam eſſe immunem à peccato eſt nunquam contraxiſſe ullum peccatum, ergò eſſe immunem ab originali, eſt nunquam contraxiſſe peccatum originale. Quod quidem facilè oſtenditur, tùm 1. quia illa vox *immunis*, ſeu *immunitas* ſonat penitus liberam, prorſus alienam à peccato, prout explicant ipſi Thomiſtæ. Catherinus: *Vox illa immunis, perpetuam ſignificat abſolutionem ab ea re, à qua dicitur quis immunis.* Gaſpar Catalan: *Vox immunis illam fuiſſe exemptam ac præſervatam ex ſpeciali Privilegio ſignificat.* Sic etiam intellexit Pepinus, qui hunc locum D. Thomæ pro pia Sententia adducens ait: *Prædictis omnibus non iniuria connumerandus eſt B. Thomas de Aquino, laus honor & gloria Ordinis Prædicatorum, qui in 1. Sent. d. 44. a. 3. in ſolutione ad tertium dicit: B. Virgo fuit immunis ab originali, & actuali peccato.* tùm 2. quia S. Thomas hoc loco abſtrahit ab omni differentia temporis; ergò ſimpliciter, & abſolutè dicendo: *fuit immunis ab originali*, dicit immunem, ac liberam fuiſſe pro omni differentia; ergò etiam dicit immunem in inſtanti animationis. tùm 3. quia pariformiter loquitur de immunitate ab originali, & ab actuali perſonali peccato; & ſicut dicit immunem ab actuali, ita & immunem ab originali; ſed ab actuali fuit B. Virgo præſervata, ut nunquam in illud laberetur, ergò etiam ab originali. tùm 4. quia ipſe S. Thomas hac voce alibi uſus eſt, & intellexit immunitatem perpetuam, definiens enim Virginitatem, ait: *Dicendum, quod nomen Virginitatis à virore ſumptum videtur: & ſicut illud dicitur virens, & in ſuo virore perſiſtere, quod non eſt ex ſuperabundantia caloris aduſtionem expertum: ità etiam Virginitas hoc importat, quod perſona, cui ineſt, immunis ſit a concupiſcentiæ aduſtione.* Quæ certè definitio falſa eſſet, niſi per vocem *immunis* perpetua denotaretur immunitas, quià Virginitas in minimo læſa, ceſſat eſſe Virginitas. Clariùs adhuc, & in materia ad propoſitum, cùm quæſiviſſet: *Vtrùm Caro Chriſti in Patribus fuerit peccato obnoxia.* Reſpondit in corpore articuli: *quod tota caro antiquorum Patrum fuit peccato obnoxia, nec fuit in eis aliquid à peccato immune, de quo poſtmodum Corpus Chriſti formaretur.* Vide quo ſenſu adhibeat ly *immune*, quod ſcilicet nullo modo, vel in minimo ſit contaminatum originali peccato, de quo fuit quæſtio. Pari ratione ſubdidit infra: *quod Chriſtus dicitur primitias noſtræ*

Probatio 6.

D. Tho. 2. 2. q. 152. a. 1. in Sol.

D. Tho. 3. p. q. 31. a. 7.

D. Thom. ib. ad 2.

N 3 *natura*

naturæ aſſumpſiſſe. &c. Non autem hoc intelligitur, ſecundùm continuationem puritatis: itá ſcilicet quod illa caro puri hominis conſervaretur á peccato immunis, uſque ad formationem Corporis Chriſti. Ecce quid apud S. Thomam ſignificet eſſe à peccato immunem, cùm loquitur de peccato orignali? nunquam videlicet infectum eſſe maculâ originalis peccati.

IV. Ad hunc porrò locum aliqua ſpecialiter adhuc obſervanda. 1. Cum videant oppoſitæ partis aſſertores, quod D. Thomas tàm clarè pro pia Sententia pronuntiaverit, recurrunt ad varias textûs explicationes, ſed *quæ afferuntur à Thomiſtis gloſſæ ad hunc locum recipiendæ non ſunt* inquit ex eorummet numero Ambroſius Catherinus. Nominatim verò, ut ait Martanellus: *Hic ſaltat Capreolus, dicens ex verbis iſtis non haberi B. Virginem in primo Conceptionis inſtanti puritatem à peccato originali adeptam fuiſſe, ſed poſt ſanctificationem. Vnde benè ſtat quòd fuerit Concepta in peccato originali, & tandem dictam puritatem diverſis menſuris habuerit. Nam & pueri baptizati dicuntur immunes à peccato originali, quamvis illud contraxerint.* Sed quis non videt hunc ſaltum? Contrahere originale, & mundari ab illo, non eſt ſumma puritas, quâ major ſub DEO non poſſit intelligi: nec pueri poſt baptiſmum dicuntur habere talem puritatem: ergò cùm afferat S. Thomas DEIparam in ſummo gradu poſſibili infrà DEVM puram fuiſſe, & immunem ab originali, evidens eſt, quòd illam abſolvat etiam à primo inſtanti, dicendo fuiſſe immunem ab originali. Deinde *nec inter ſe conveniunt. Nam quidem dicunt, quod Thomas intellexit eam immunem ab originali poſt primam ſanctificationem, quæ fuit in utero: quidam verò à die ſecundæ ſanctificationis, quando verbum DEI concepit.* Annon frivola ſunt hæc effugia? Si per vocem *immunis* D. Thomas intelligit mundatam à præexiſtente peccato originali, ergò etiam intelligit mundatam à præexiſtente peccato actuali perſonali; cùm eandem vocem ſine diſtinctione applicet DEIparæ reſpectu utriuſque peccati; ſed non audebit dicere Capreolus, quòd fuerit mundata à præexiſtente peccato actuali perſonali poſt primum inſtans conceptionis, ergò nec audebit dicere (multò minùs alij poſt ſecundam ſanctificationem) quòd fuerit mundata à præexiſtēte peccato originali; niſi velint illam notam inurere ſuo Sancto Præceptori, quòd in una eademq; voce *immunis* æquivocare voluerit. Verum hac ratione, & benè advertit

Cather. ſup. cit.

Martanell. in Spec. mihi pag. 25.

Capreol. in 3. diſt. 3.

Cather. Opuſc. de Concept. lib. 2.

P. F.

P. F. Catalan: *Angelicus Doctor non loqueretur prudenter, aut tanquam Theologus, utendo in una ac eadem propoſitione verbo immunis cum tanta æquivocatione, ac varietate ſignificationum.* Imò ut ejus Collega Catherinus dicit: *monſtroſè claudicaret ſermo ille, ſi ab actuali immunis perpetuò diceretur, ab originali verò à prima ſanctificatione, vel quod abſurdius eſſet, & à ſecunda quando concepit Filium.* Propterea alij convicti claritate aſſerti confugiunt ad retractationem, dicuntq; D. Thomam id, quod in 1. Sententiarum pro omnimoda Virginis innocentia pronuntiaverat, in tertio deinde retractaſſe. Verùm per hoc nihil conſulunt cauſæ ſuæ, quia SanctumPræceptorem incôſtantem faciunt, nec poſſunt oſtendere ullum retractationis indicium, cùm nullam faciat mentionem in tertio Sent. ejus, quod aſſeruit in primo. P. Fr. Coſmas Morelles in Editione Operum D. Thomæ Antverpiana uti præſeverunt primæ folia, vel Moguntina uti habetur paſſim in calce librorum Anno 1612. repoſuit ad marginem citati textûs hæc verba: *Oppoſitum iſtius 3. p. Summæ q. 27. a. 1.* quibus fatetur ingenuè, quod S. Thomas in 1. Sententiarum agnoverit Immaculatam Conceptionem; licet fallatur, quòd putet oppoſitum haberi 3. p. Summæ, ut ſuo loco dicemus. Ex his obſervo 2. quòd cùm tam celebres D. Thomæ diſcipuli agnoſcant S. Doctorem, uno ſaltem in loco (ut de cœteris ſileam) docuiſſe piã ſententiam; debuiſſent cœteri ſequaces, ſaltem dubitare de ejus mente, & non in alteram controverſiæ partem, quæ pietati minùs conſona eſt, tàm animoſè ruere: deberent moderni omnes unà nobiſcum hunc locum, & alios ſimiles præ omnibus adducere, & alios obſcuriores in meliorem partem interpretari. Obſervo 3. quod tametſi multa ex D. Thomæ Operibus (ut ſuprà retuli) expuncta, & abraſa ſint, hic tamen locus tàm clarus, & efficax pro Innocentia originali DEIparæ, integer remanſerit, quod quidem Divinæ Providentiæ adſcribendum eſt. Sed ut fuiſſet expunctus, non fallerent nos vetuſti Codices, quorum unum in pergamena ſcriptum mihi videre licuit in Bibliotheca Academica Viennenſi, qui cùm fuerit M. Petri de Pulcka circa annum 1400. & ab alio ſeniore Doctore ſibi donatum atteſtetur dictus Magiſter, pronum eſt conjectare, quòd conſcriptus fuerit proximè ad tempora D. Thomæ. In eo verba ſupràcitata fideliter reperiuntur deſcripta, & ad marginem rubrica ejuſdem antiqui characteris: *Nota de peccato originali.* unde licet colligere, jam tunc controverſum fuiſſe,

Catal. in Ep. ad Mich. de Lanuza. Catherin. ſup. cit.

Morell. ad 1. ſent. d. 44.

quid

Digitized by Google

quid D. Thomas ſenſerit in hac materia,& de hac quęſtione, alijs illum pro ſe allegantibus, alijs hunc locum clarum objicientibus. Quod quidem etiam adverti poteſt ex Opuſculo noſtri Henrici de Haſſia quod circa Annum 1390. ſcripſit *contra Diſceptationes, & contrarias Prædicationes Fratrum mendicantium ſuper Conceptione Beatiſſimæ Virginis*, ut latius oſtendo Libro IV. hujus Operis. Sed jam ad alia.

§. IX.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam. Ex To. VI. Operum lib. 2. Sent.

Locus 4. expenditur.

D. Tho. in 2. d. 31. q. 1. a. 1.

Locus 4.

I. QVartus locus D. Thomæ in favorem piæ ſententiæ expendi poteſt ex lib. 2. Sent. diſt. 31. ubi quærit Doctor Angelicus: *Vtrùm ſit neceſſe omnes homines naſci in peccato originali.* Pro negativa adducit argumentum quintum: *Vt Auguſtinus dicit in litera: Concupiſcentia libidinis, quæ eſt in actu coitus originale peccatum cauſat: ſed qualitercunque ſumatur concupiſcentia, potens eſt DEVS ab ea hominem liberare per miraculum; ergò contingit aliquem ſine peccato originali naſci.* Pro affirmativa ponit univerſalem propoſitionem D. Pauli: *Peccatum in omnes homines tranſit:* & iterùm: *Ille, qui non eſt peccato obnoxius redemptione non indiget ſi ergò eſſet aliquis, qui non in peccato originali naſceretur præter Chriſtum, inveniretur aliquis, qui redemptione facta per Chriſtum non indigeret, & ſic Chriſtus non eſſet caput omnium hominum, quod non eſt conveniens ſecundùm fidem.* Deinde concludit: *Dicendum quòd neceſſarium eſt omnes, qui ex Adam generantur per viam coitûs, peccatum originale trahere.* cúmque poſuiſſet duas conditiones requiri ad traductionem originalis peccati in poſteros, naturam ſcilicet deficientem & corruptam per peccatum primi parentis, & rationem voluntarij poſterorum in Adamo ceu capite comprehenſorum, ſubdit ad finem: *Vnde ratio voluntarij in omnes, qui ab eo naturam humanam accipiunt*

Rom. 5.

Digitized by Google

piunt ſimul cum defectu tranſit: & quia genitum naturam recipit à generante, & patiens ab agente; ideò omnes, qui ſecundùm ſeminalem rationem, quæ eſt virtus activa, ab Adam deſcendunt; oportet, quòd in culpa originali naſcantur. Et tandem ad argumentum ſup. relatum, ſic reſpondet: *Ad quintum dicendum; quod hoc non poſſet eſſe, ut concupiſcentia habitualis, quæ in deordinatione virium animæ conſiſtit, tolleretur ex toto; niſi natura penitus reintegraretur. Et hoc quidem nulli dubium eſt, quin DEVS facere poſſet, & ſi hoc fieret, procul dubio geniti ſine originali naſcerentur.* Hic ſuppono, quòd loquatur D. Thomas de Nativitate ex utero, prout verba ſonant, & quæro, utrùm quando dicit: omnes, qui ex Adam per viam coitus generantur naſci debent cum peccato originali, reliquerit locum Privilegio, vel exceptioni? ſi non reliquit; ergò etiam S. Ioannes Bapt. & Ieremias Propheta nati ſunt cum originali peccato; quos tamen alibi aſſerit in utero ſanctificatos. ſi verò reliquit locum Privilegio, merito inferam, quòd ſicut in hoc textu reliquit locum Privilegio, & exemptioni ab univerſaliter lata lege; ſic alibi etiam, quando videtur aſſerere, omnes debere concipi cum originali peccato. adeoq; in doctrinâ ipſius de lege hac univerſali, nihil uſpiam contrà piam Sententiam pronuntiatum eſſe, quin potius tacitè inſinuatam exemptionem DEIparæ à lege univerſali. Quod etiam ſuadere poſſunt illa, quæ in reſponſine ad 5. argumentum adducit. Cùm enim admittat caſum poſſibilem, ut aliqui ſine originali peccato naſcantur, & concipiantur, reintegratâ videlicet naturâ, ſufficienter favet noſtræ ſententiæ, quæ ſe potiſſimum fundat in poſſibilitate, & congruentia ſpecialis exemptionis, ſiſtendo in ratione. Sed *Probatio 7.*

II. Videtur in hoc textu literæ S. Doctor ſolum loqui de nativitate in utero, licet utatur voce illâ *naſci*, quæ propriè ſpectat ad nativitatem ex utero. Hoc ipſum autem etiam favet piæ Sententiæ, cùm loquatur de neceſſitate ſolùm & obligatione, non verò de actuali contractione peccati. Quærit enim: *Vtrùm ſit neceſſe omnes homines naſci in peccato originali?* quaſi diceret: Vtrùm debeant, utrùm habeant debitum, vel obligationem ad contrahendum originale in ſua animatione. habere verò debitum contrahendi peccatum, & actu contrahere ſunt planè diſtincta; ergò cum hoc ſtat, quod aliquod individuum non contrahat actu peccatum, ſed ſolùm quoad debitum, & obligationem. Idem patet ex contextu totius articuli; unde *Probatio 8.*

etiam infrà dicit : *neceſſarium eſt, omnes, qui ex Adam generantur, peccatum originale trahere.* & rurſum : *oportet, quòd in culpa originali naſcantur.* quæ omnia non aliud important quàm debitum, & obligationem. Agnoſcunt hanc interpretationem hujus, & ſimilium locorum Caietanus, & Medina Thomiſtæ. Ioannes etiam à S. Thoma, qui pro hoc alios plures citat, licet putet D. Thomam loqui in ſimilibus de lege ordinaria, relinquendo locum privilegio, quod in idem recidit cum priori explicatione quantum ad præſentem materiam. *Cæterùm* (inquit) *communior D. Thomæ interpretatio eſt, quòd loquitur D. Thomas in illa univerſali propoſitione ex vi legis ordinariæ, relinquendo ſemper locum privilegio. Ità cenſent Ferrara, Czumel, Lorca, & Alvarez. Pater Azor, Salas, Valentia, Monteſinos, Cornelius à Lapide, &c.* Et ſupra monuerat ad inveſtigandum verum S. Doctoris ſenſum neceſſarium eſſe ad duo advertere, quorum primum eſt ; *Longè aliter locutum fuiſſe D. Thomam cùm in generali, & in communi ageret de univerſalitate peccati originalis, quantum eſt ex vi legis, & omni privilegio ſecluſo ; aliter cùm in particulari de B. Virgine tractavit, ubi de ipſius præſervatione ex vi privilegij agebatur.* Adducit deinde rationes, propter quas in hac materia de originali peccato, cùm de univerſalibus propoſitionibus ageret, tam rigidus videatur fuiſſe ; potiſſimùm, quia agebat contra Pelagianos aſſerentes : non omnes homines infici peccato originali. Sed reverà in hoc adducto loco non fuit rigidus, non ſecluſit privilegium Virginis ; quin potius adhibendo illas voces, *neceſſe, neceſſarium, oportet,* ſuppoſuit privilegium poſſibile, & tacitè inſinuavit, quod alibi deinde explicuit alijs verbis. Erit infrà iterum occaſio de hoc plura dicendi, hæc iſthic ſufficiant.

Ioan. à S. Tho. in 1. p. To. 1. Diſp. 2. a. 2. Ferra. 4. cont. gent. c. 50. Zum. 1. 2. q. 81. a. 3. Lorca. Alva. ib. Azor To. 1. Inſt. lib. 4. c. 34. Salas To. 2. in 1. 2. Tr. 13. D. 11. ſ. 5. Valent. 1. 2. D. 6. q. 11. p. 2. Monteſ. 1. 2. q. 81. a. 3. Diſp. 11. q. 8. Cornel. ad Ro. cap. 5.

§. X.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe originali Conceptam. Ex Thomo VII. Op. in 3. Sent.

Locus 5. 6. 7.

I. Quin-

I. QVintus locus in favorem piæ ſententiæ deſumitur ex 3. Sentent. in quo ſe tamen putant antagoniſtæ triumphare. Tria hic quærit S. Doctor. 1. An B. Virgo ſanctificata fuerit antequam Conceptio ſeminalis finiretur. 2. An ſanctificata fuerit ante animationem. 3. An ſanctificata fuerit ante nativitatem. Expendamus ſingula. Ad primum quæſitum reſpondet negativè, ex duplici argumento: quia quod non eſt non poteſt ſanctificari, ſed ante Conceptionem ſeminalem B. Virgo nondum erat, ergò. Deinde ſoli Chriſto ſervabatur ſingularis Conceptio, quæ eſſet abſque commiſtione viri, & mulieris, & abſque libidine, quam conſequitur peccatum originale in prole; ergò cùm B. Virgo ſit concepta per commixtionem ſexuum, non potuit ſanctificari niſi poſt conceptionem. In hoc manifeſtum eſt, quòd D. Thomas ſolum loquatur de Conceptione ſeminali, & benè diſcurrit etiam in pia Sententia, ſecundùm multos; qui communiter docent ante animationem non potuiſſe Virginem ſanctificari. Quod autem dicat peccatum originale trahi ex commixtione ſexuum cum libidine, intelligit ſolùm debitum, quod proles ante animationem habet ex vi generationis ſeminalis, quod debitum aliqui appellant relationem, alij cauſalitatem, alij obligationem, & neceſſitatem, ut cùm fœtus fuerit animatus, tunc reipſa maculetur peccato originis. Et hoc totum verum eſt, ac conforme piæ Sententiæ. Vis igitur, & ſubſtantia argumenti hæc eſt: Soli Chriſto ſervabatur talis Conceptio ſeminalis, quæ foret abſque commiſtione ſexuum & conſequenter abſque cauſalitate ſive debito. ſive obligatione incurrendi peccatum originale, quod debitum ſeu obligatio conſequitur ad Conceptionem ſeminalem: ergò cum B. Virgo ſit concepta ſeminaliter, contraxit originale cauſaliter, ſeu contraxit ex vi conceptionis ſeminalis debitum incurrendi peccatum originale, non tamen ipſum peccatum ut eſſet puritas eius infrà DEVM. Chriſtus nec debitum habuit in carne, nec peccatum in anima; B. Virgo verò quià ſeminaliter concepta, habuit in carne debitum, ſed in anima peccatum non habuit. Hoc ipſum uberiùs explicat S. Doctor in eodem quæſito; cùm ait: *Ad tertium dicendum, quòd hæc puritas ſoli homini DEO debebatur, ut ipſe quaſi unicus Redemptor humani generis, nullâ peccati ſervitute teneretur, cui competebat omnes à peccato redimere: unde non hanc puritatem, ſed ſub hâc maximam, Virgo Mater eius habere debuit.* Duplex diſtingui poteſt peccati ſervitus,

D. Tho. in 3. diſt. 3. q. 1. a. 1.
Locus 5.

Probatio 9.

D. Tho. ib. ad 3.

 altera

Digitized by Google

altera remota; altera proxima. Remota eſt debitum illud vel obligatio in carne ſeminaliter concepta (ut ſuprà dicebamus) ut animam ſibi unitam inficiat; proxima verò eſt ipſum peccatum. Ab utraque hac ſervitute liber fuit Chriſtus: B. Virgo autem ſolùm à ſecunda; quia ſoli homini DEO debebatur ab utraque, & ab omni ſervitute liberum eſſe, ac immunem. Maximam tamen ſub hac immunitatem Virgo habuit, quia licet à debito immunis non fuerit, fuit tamen immunis à peccato, quod nulli alteri hominum conceſſum. Hoc ad mentem, ut per ſe patet, D. Thomæ; quem ſic etiam intellexit ejus diſcipulus Ambroſius Catherinus, cum dixit: *Poſtremò, ut claudantur omnium ora, ibi declarat ipſemet S. Doctor, quomodo ſub DEO intelligi debeat illa immunitas B. Virginis, videlicet per receſſum à contrario, id eſt à peccato; quoniam ipſe quidem DEVS à peccato liber eſt, non ſecundum actum ſolum, verùm etiam ſecundùm potentiam: ſub DEO ergò erit ſemper B. Virginis puritas, ſi ponatur à peccato immunis ſecundùm actum perpetuò, quia non ponitur per hoc immunis ſecundùm potentiam. Et hæc eſt puritas, quam illi tribuit B. Thomas, cui ſatis fuit ut eſſet ſub DEO.* Hæc Catherinus: quibus nihil addere eſt opus.

Cather. Opuſc. de Concept. lib. 2.

II. Ad ſecundum quæſitum reſpondet negativè; quia 1. gratia ſanctificationis à DEO venit ad corpus per animam, ergò antequam animaretur B. Virgo ſanctificari non potuit. Deinde: contraria nata ſunt fieri circa idem, ergò cum peccati originalis ſubiectum ſit anima rationalis, erit etiam gratiæ; ergò ante animationem ſanctificata non fuit. Fatentur hoc pleriquè, qui piæ ſubſcribunt Sententiæ. Ac proinde etiam hic loquitur D. Thomas conformiter ad doctrinam piè ſentientium. Dixi, fatentur hoc pleriquè; non enim deſunt Authores pro pia ſententia, qui docent præviam quandam ſanctificationem carnis, vel corporis organizati ante animationem, ut ſuo loco diſcurrimus; contra quos pronuntiavit S. Thomas, ſed per hoc nullum piæ Sententiæ præiudicium intulit.

III. Ad tertium quæſitum reſpondet affirmativè: quia 1. Eccleſia ſolemnizat Nativitatem B. Virginis, ergò B. Virgo eſt nata ſancta. 2. *de Ioanne Baptiſta dicitur, Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero Matris ſuæ: ſed plus gratiæ collatum eſt B. Virgini, quàm alicui Sanctorum, ut in litera ex verbis Auguſtini dicitur: ergò B. Virgo adhuc in utero Matris Spiritu ſancto repleta fuit, ergò & ſanctificata.* Hoc quidem in argumento pro affirmativa opinione;

Locus 6.

ne; at in Concluſione adhuc expreſſiùs, ait enim: *Ad tertiam quæſtionem dicendum, quod B. Virgo ante Nativitatem ex utero ſanctificata fuit; quod colligi poteſt ex hoc, quòd ipſa ſuper omnes alios ſanctos à peccato purior fuit, ut ex hac litera habetur velut divinæ ſapientiæ Mater electa, in quam nihil coinquinatum incurrit, ut dicitur Sap. 7. unde cùm hæc puritas in quibuſdam fuiſſe inveniatur, ut ante Nativitatem ex utero à peccato mundarentur, ſicut de Ioanne Baptiſta, de quo legitur, &c. non eſt dubitandum hoc multò excellentius Matri DEI collatum fuiſſe.* Copioſa profectò pro Innocentia originali Virginis argumenta. Et 1. conſultò abſtinuit S. Doctor ab illa quæſtione: An B. Virgo fuerit ſanctificata in ipſo animationis inſtanti, ex cauſis ſupra relatis, quæ quidem redundant in favorem piæ Sententiæ. 2. Secundùm S. Thomam inde colligitur B. Virginem natam eſſe ſanctam, quia Eccleſia ſolemnizat ejus Nativitatem, ſed de facto etiam Eccleſia ſolemnizat ejus Conceptionem, ergò juxtà S. Thomæ principia colligitur B. Virginem in Conceptione ſua fuiſſe Sanctam & Immaculatam. 3. Illud S. Doctoris: *B. Virgo ante Nativitatem ex utero ſanctificata fuit*, cùm abſtrahat ab omni differentia temporis, tàm poteſt verificari de primo inſtanti animationis, quàm de quolibet ex ſubſequentibus. Nihil enim amplius requirebat in prioribus aſſertis, quàm ut eſſet ſubjectum capax ſanctificationis: hoc autem habetur in ipſo primo animationis inſtanti; ergò licet colligere, hanc fuiſſe Doctoris Angelici intentionem, quòd B. Virgo ſanctificata ſit ipſo inſtanti animationis, quod etiam eſt ante Nativitatem ex utero; cùm aliunde illi attribuat puritatem ſuprà omnes Sanctos. 4. Dicit enim: *quod ipſa ſuper omnes alios Sanctos à peccato purior fuit*, & ſupra dixerat: *plus gratiæ collatum eſt B. Virgini, quàm alicui Sanctorum.* Hic præterquam quod aſſertio eadem ſæpius repetita novum argumentis addat pondus probationis, exceſſiva B. Virginis cum alijs Sanctis comparatio evincit omnimodam puritatem Virginis originalem. Nam ex his principijs arguere licet Plus gratiæ collatum eſt B. Virgini, quam alicui Sanctorum, ergò plus quam Ioanni Baptiſtæ, & Ieremiæ; ſed Ioanni Baptiſtæ, & Ieremiæ collatum eſt ut in utero poſt animationem ſanctificarentur, ergo B. Virgini collatum eſt ut in ipſa animatione ſanctificaretur prob. conſeq. quia gratia & ſanctificatio, ratione cujus comparat DEIparam cum S. Ioanne Bapt. & Ieremia, eſt ſanctificatio in utero ante Nativitatem ex utero; ergò, ſi plus gratiæ B. Virgo accepit in

Probatio 7.

Probatio 10.

Probatio 11.

Probatio 12.

Probatio 13.

utero quàm Ioannes Bapt. & Ieremias, illud plus intelligi debet extenſivè ad tempus exiſtentiæ in utero, ergò illud plus accepit, ut ſanctificaretur in ipſa animatione. Dicet aliquis illud plus ſolùm intelligi, quòd B. Virgo acceperit plures gradus gratiæ, quàm alij Sancti in utero; non autem, quod extenſive prius ſanctificata ſit. Sed Contra: Si illud plus intelligi deberet plus intenſivè, non plus extenſivè, S. Thomas hoc loco non benè argumentaretur, quia idem eſſet acſi diceret. S. Ioanni Bapt. & Ieremiæ data eſt gratia ſanctificationis extenſivæ, ut in utero ſanctificarentur poſt animationem; ſed B. Virgini plus eſt collatum gratiæ, quàm alicui Sanctorum; ergò B. Virgini eſt data gratia ſanctificationis intenſivæ, plus quàm Ioanni Bapt. & Ieremiæ. Hic forent quatuor termini, nec probaretur intentum. Ac proinde cùm S. Thomas loquatur de extenſione gratiæ ſanctificationis, & comparet B. Virginem, imò præferat alijs Sanctis, dicendum eſt, ex ejus mente, DEIparæ collatum eſſe plus quoad extenſionem exiſtentiæ in utero, quàm Ioanni Bapt. & Ieremiæ; & illud plus debere intelligi ipſum inſtans animationis. Deinde argui poteſt etiam hoc modo: Si S. Thomas illud plus gratiæ intelligeret, plus quoad extenſionem collatum Virgini, quàm alijs Sanctis, non rectè inferret, ergò eſt in utero ſanctificata, quia plus gratiæ quoad intenſionem & pluralitatem graduum, potuit conferri B. Virgini etiam poſt Nativitatem ex utero: ergò ſignum eſt, quòd per ly plus gratiæ collatum Virgini intellexerit S. Doctor, plus quoad extenſionem ad ipſum inſtans animationis. Recurrere forſan poſſet aliquis ad plura temporis inſtantia quæ inter animationem, & Nativitatem ex utero intercurrunt; ſed hac ratione 1. fortè S. Ioannes ſecundo inſtanti animationis ſanctificatus fuit, uti videtur colligi ex verbis D. Ambroſij relatis à S.Thoma: 2. non eſſet multò *plus, & excellentius* collatum B. Virgini, quàm alijs ſanctis, ſi ejus Sanctificatio uno, vel altero inſtanti præceſſiſſet ſanctificationem S. Ioannis Baptiſtæ: ergò ſi plus, & excellentius Virgini collatum eſt, illud plus fuit quoad extenſionem gratiæ. ad ipſum inſtans animationis. Et hoc 5. denotant illa verba *ſuper omnes alios ſanctos à peccato purior fuit.* quando? in utero matris exiſtens; quia de illa tantum differentia temporis hoc loco loquitur, & eam præfert Sancto Ioanni Baptiſtæ & Ieremiæ: unde cùm S. Ioannes Bapt: in utero mundatus ſit à peccato poſt animationem, ſequitur ad mentem Angelici Doctoris, quod B. Virgo

Ambr. in cap. 1. Luc.

Probatio 14.

Virgo

Virgo in ipſa animatione ſanctificata fuerit. Nam quomodo aliàs purior eſſet? Puritas à peccato & immunitas (ut ſupra dictum) quam DEIparæ tribuit S. Thomas, eſt perfectus receſſus à contrario, ut nullo peccato inquinata ſit: puritas verò S. Ioannis, eſt talis receſſus à contrario, ut peccato quidem originali inquinatus fuerit, ſed ſtatim ab illo mundatus antequam naſceretur ex utero. Si ergo puritas B. Virginis fuit major puritas, quam Ioannis Baptiſtæ, & fuit perfectus receſſus à contrario; ſequitur, quod B. Virgo nunquam fuerit inquinata originali peccato. 6. B. Virgo ſecundùm S. Thomam eſt *divina Sapientiæ Mater electa, in quam nihil coinquinatum incurrit:* quibus verbis roborat prius dicta duplici argumento. Nam licet dicere, eſt Divinæ Sapientiæ Mater electa; ergò in ſui animatione convenienter immunis ab omni macula originalis peccati: quod quidem argumentum à Maternitate Virginis deſumptum alibi fuſius pertracto. Deinde *ſi nihil in eam coinquinatum incurrit*, ergò neq; etiam macula originalis peccati: quia particula *nihil* abſolutè negat, non ſolùm omnem maculam, ſed etiam omnem maculam pro omni differentia temporis; & ſi vel uno inſtanti fuiſſet infecta, aut inquinata peccato originali, non eſſet amplius verum de ea dicere *in quam nihil coinquinatum incurrit.* 7. Ex illo poſtremo D. Thomæ antecedenti videtur tacitè alia conſequentia deducta. Dicit S. Doctor *cùm hæc puritas in quibuſdam fuiſſe inveniatur, ut ante Nativitatem ex utero à peccato mundarêtur, ſicut de Ioanne Baptiſta &c. non eſt dubitandum hoc multò excellentius Matri DEI collatum fuiſſe.* Puto ergo ly *multò excellentius* poſitum eſſe loco aliorum verborum *in ipſa Nativitate in utero* ſive *in ipſo animationis inſtanti.* Nam ex illo antecedente *S. Ioan. Baptiſtæ data eſt puritas ut ante Nativitatẽ ex utero ſanctificaretur*, rectè infertur: ergò B. Virgini data eſt talis puritas, ut in ipſa Nativitate in utero, ſeu animatione ſanctificaretur, aliàs non fuiſſet *multò excellentius* ſanctificata. Hæ profectò, & ſimiles conſiderationes tàm exprimunt ſenſum S. Thomæ de Immaculata Conceptione, ut non poſſim ſatis mirari, cur in eodem articulo unam alteramve propoſitionem S. Doctor ità locaverit, ut dederit occaſionem adverſæ parti, eum in hoc loco pro ſe allegandi. Sed quo jure, & quomodo allegetur, commodiùs alibi expendemus. Ad alia nunc progrediamur.

Probatio 15.

Probatio 16.

§. XI.

§. XI.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam, quod Probatur Ex Tomo VIII. De malo Quæſt. 4.

Locus 8. 9. 10. 11.

D. Tho. de malo q. 4. art. 6.

I. QVærit S. Doctor liber de malo quæſt. 4. art. 6. *Vtrùm peccatum originale ab Adam derivetur in omnes, qui ſeminaliter ab ipſo procedunt.* & quæſtionem (quam alibi etiam non ſemel tractat) hic fuſiſſimè proſequitur. Cùm ergò ab hac difficultate potiſſimùm pendeat quæſtio de Innocentia DEIparæ, libet indagare genuinum ſenſum propoſitæ à D. Thoma quæſtionis, quo habito conſtabit D. Thomam ſolùm locutum fuiſſe de lege ordinaria, relinquendo locum exceptioni, & Privilegio. Igitur locus in favorem Immaculatæ Conceptionis eſt in articulo citato, ubi dicit S. Doctor: *Ad ſecundum dicendum, data quòd illi, qui vivunt reperientur in adventu Domini, nunquam moriantur, non ſequitur ex neceſſitate, quòd peccatum originale non contraxerint. Pœna enim propria originalis peccati, eſt neceſſitas moriendi, ſecundùm illud Apoſt. Rom. 8. Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum; id eſt neceſſitati mortis addictum, ut Aug. exponit: poteſt autem contingere quod aliqui neceſſitatem moriendi habeant, qui tamen nunquam morientur divinâ virtute mortem prohibente: ſicut poteſt contingere, quòd grave generatum, deorſum non feratur propter aliquod impediens.* Ex hoc loco ſic arguo 1. Non minùs eſt pœna originale peccatum poſterorum reſpectu peccati originis ab Adamo commiſſi, quam ſit pœna reſpectu originalis peccati poſterorum, mors temporalis; ſed per S. Thomam ſufficit ad rationem pœnæ peccati originalis, neceſſitas vel exigentia moriendi; ergò ſufficit ad rationem pœnæ peccati originis neceſſitas, vel exigentia in poſteris (quam debitum appellamus) contrahendi peccatum originale. 2. iuxta expoſitionem D. Auguſtini à D. Thoma relatam, cùm dicit S. Paulus: *Corpus mortuum eſt propter peccatum,* intelligitur: corpus eſt neceſſi-

D. Tho. de malo. q. 4. art. 6. ad 2. Locus 8.

Probatio 17.

Digitized by Google

ceſſitati mortis addictum Propter peccatum: ergò à pari, cùm dicit Apoſtolus: *In quo omnes peccaverunt*; intelligitur, in quo omnes neceſſitatem, vel quod idem eſt debitum peccati incurrendi contraxerunt: ſed non obſtante, quòd corpus habeat neceſſitatem moriendi, aliqui non moriuntur, ut concedit S. Thomas, vel ſaltem poſſunt non mori divinâ diſpenſatione; ergò non obſtante, quòd omnes homines habeant debitum incurrendi peccatum originale, poſſunt tamen aliqui id non contrahere. ergò D. Thomas hoc loco relinquendo locum Privilegio, favit Immaculatæ Conceptioni DEIparæ, & licet univerſaliter locutus ſit, non tamen excluſit exceptionem.

II. Ad dicta roboranda facit alter locus, in quo ferè eadem repetuntur in 2. 2. q. 81. a. 3. ad 1. *ſi tamen hoc verum ſit, quòd alij dicunt, quòd illi nunquam morientur* (qui ſcilicet vivi reperientur in adventu Domini) *ſicut Hieronymus narrat &c. dicendum eſt ad argumentum, quòd illi etſi non moriantur, eſt tamen in eis reatus mortis: ſed pœna aufertur à DEO, qui etiam peccatorum actualium pœnas condonare poteſt.* Vbi eadem, quæ ſupra formari poſſunt argumenta. Quibus roborandis favet pientiſſimus Immaculatæ Conceptionis Aſſertor Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſ. qui cùm dixiſſet: *In MARIA fuit neceſſitas peccatum originale contrahendi, ſecundū cauſas inferiores; legem propagationis ex coniunctione viri cum fœmina. Lex autē ſuperior præiudicavit huic neceſſitati, præveniendo caſum per ſanctificationem, & gratiam.* ſubnectit rationem D. Thomæ: *ſicut etiam dicit in alio caſu S. Thomas de occurrentibus tempore iudicij obviam Chriſto in aëra. quod ſi non moriantur, hoc non eſt ſecundùm cauſas inferiores, ſecundùm quas habebant neceſſitatem moriendi; nequè eſt contra Apoſtolum, dicentem: ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, & deinde iudicium; quia privilegium ſuperioris hoc ſuſpendit. Non ſecus eſt in propoſito de MARIA, de neceſſitate contrahendi peccatum originale, præventa, & privilegiata. &c.* quo loco occurrit librare illa verba Gerſonis: *In MARIA fuit neceſſitas peccatum originale contrahendi*: & aptare eidem Virgini illud Pſalmiſtæ: *Salvaſti de neceſſitatibus animam meam: nec concluſiſti me in manibus inimici*, quaſi diceret: *de neceſſarijs malis* eripuiſti animam meam: Nam communi lege, quia Adami filia, neceſſariò debuiſſem maculari originali peccato, ſed tu de hac neceſſitate me ſalvaſti, me liberaſti præventione gratiæ tuæ. Eſt ingenium Bernardini de Buſtis: *Per divinam gratiam præſervata fuit ab omni contagione, & infa-*

D. Tho. 2. 2. q. 81. a. 3. ad 1. Locus 9.

Probatio 18. Gerſon Tract. 4. in Magnif.

Pſ. 30.

Buſt. P. 3. ſer. 2. de Concept.

Digitized by Google

mia, atq; ſervitute peccati, & à ſubiectione Diaboli: unde ipſa agit gratias DEO, dicens illud Pſ. ſalvaſti de neceſſitatibus animam meam: Nec concluſiſti me in manibus inimici. Sed ne his, quæ alio ſpectant, immoremur.

D. Tho. de mal. q. 4. a. 6, Locus. 10. III. Illud in eodem articulo expendendum eſt, quod D. Thomas per modum aſſertionis univerſalis poſuit, & in quo ſe plurimum fundare ſolent Thomiſtæ: ait enim: *Dicendum, quòd erroneum eſt dicere, quòd aliqui ſeminaliter ab Adam deriventur abſquè originali peccato ſic enim aliqui homines eſſent, qui non indigerent redemptione facta per Chriſtum* Et in ſumma: In Sum. 1. 2. q. 81. a. 3. *Dicendum quòd ſecundum fidem Chatolicam firmiter eſt tenendum, quòd omnes homines, præter ſolum Chriſtum ex Adam derivati, peccatum originale ex Adam contrahunt: alioquin non omnes indigerent redemptione, quæ eſt per Chriſtum, quod eſt erroneum.* Ex quo ſic argumentor. Vel hoc loco S. Thomas locutus eſt ſolùm de debito contrahendi peccatum originale, vel de ipſa actuali contractione: non de actuali contractione; quià non eſt erroneum dicere defacto non omnes actu contrahere peccatum originale, ut conſtat ex Conſtitutionibus Sum̃orũ Pontificum, & Cõcilio Tridentino ſed neq; tempore D. Thomæ fuit erroneum, quia quod ſemel eſt error, non poteſt fieri veritas: ergò locutus eſt ſolùm de debito contrahendi peccatum originale; ſed cum hoc ſtat, quod eſto omnes homines habeant debitum contrahendi peccatum originale, & tamen aliquod individuum defacto illud non contrahat; ergò hoc loco adſtruendo ſic univerſale debitum, ut ſit exemptioni, & Privilegio locus, D. Thomas favit Immaculatæ Conceptioni.

IV. Aduertit hoc Caietanus, quòd non ſit ſecundum fidẽ Catholicam, neq; erroneum dicere; quòd non omnes præter ſolum Chriſtum ex Adam derivati, peccatum originale ex Adã contrahunt actu; ac proinde ne cogeretur verba S. Doctoris tollere, & immutare conformando ea doctrinæ Concilij Tridentini, fatetur ingenuè quænam fuerit mens D. Thomæ in dicto articulo; adeoq; novum nobis argumentum ſuppeditat, quo Caiet. 1. 2. q. 81. a. 3. probemus Divum Thomam faviſſe Immaculatæ Conceptioni. Audiamus Caietanum: *Primum eſt quod ad fidem Catholicam ſpectat, quod omnes præter ſolum Chriſtum contrahant peccatum originale: quod dictum non intelligendum eſt aliter, quàm de morte, quæ eſt pœna peccati originalis: ità quod ſicut omnes incurrunt mortem, id eſt neceſſitatem moriendi, ità omnes incurrunt peccatum originale,*

id

Digitized by Google

id eſt neceſſitatem habendi peccatum originale. Et ſicut non ſpectat ad fidem, an ſinguli moriantur actualiter, an divina diſpoſitione aliquis non moriatur: ità non ſpectat ad fidem, an aliquis ex ſpeciali prærogativa gratiæ non incurrat actualiter originale peccatum. De utroq; enim ſimul inquit Apoſtolus ad Rom. 5. Per unum hominem peccatū introivit in mundum, & per peccatum Mors. Obſervo hæc ultima verba, & formo argumentum: ſecundùm propoſitionem Caietani D. Thomas eodem modo intellexit Apoſtolum loquentem de contractione peccati originalis, quò modo intellexit loquentem de morte effectu peccati; ſed D. Thomas, ut ex dictis conſtat, intellexit Apoſtolum ſolùm loquentem de neceſſitate moriendi, non de actuali morte; ergò etiam intellexit eundem ſolùm de neceſſitate vel debito habendi peccatū originale: concedit hoc & debet concedere Caietanus; ergò ubicunque D. Thomas univerſaliter loquitur, omnes homines contrahunt peccatum originale, qui ex Adam ſeminali generatione procedunt, intelligit ſicuti hoc loco explicatur, cùm non ſit major ratio de uno, quàm de alio loco: ergò etiam uti S. Thomas dixit: *Beata Virgo in peccato originali fuit concepta*, non intellexit de peccato abſolutè contracto, ſed de debito & neceſſitate illud contrahendi. Probatur hæc conſequentia; quia iſta particularis propoſitio eſt ſublumpta ex altera univerſali: Peccatum primi parentis tranſit per originēm in omnes; ergò ſicut univerſalis intelligi debet quantum ad neceſſitatem contrahendi peccati, non quantum ad actualem contractionem; ità etiam particularis iuxta regulas bonæ Dialecticæ. Recolenda hic quæ dixi ſup. §. 7. n. 2. Hoc idem ſenſit Ferrarienſis Caietano Suppar & alij plures Thomiſtæ, ut alio loco docebo. Hanc ob cauſam Theologus ille Anonymus, qui Anno 1587. Romæ ſummam Divi Thomæ edidit, ſic locum reſtituit, vel ſaltem explicuit: *Omnes homines præter ſolum Chriſtum ex Adam per originem procedentes, quià dubium non eſt, quin Chriſto Redemptore ſinguli indigeant, originale peccatum ex Adam contraxiſſe, ſaltem in potentia (propter B. Virginem) ſi non omnes actu, firmiter credendum eſt.*

Probatio 26.

in 3. d. 3. q. 1. a. 1.

Ferrar. cont. gent. cap. 50. Cӡumel 1.2. q. 81. a. 3. Alvarez 16. Medina 1.2. Anony. in ſumma.

V. Ad prædicta roboranda ſervit & alius locus Divi Thomæ, quem operæ pretium eſt hic annectere. Scribens in 4. Sententiarum proponit quæſtionem: *Vtrum mors erit terminus à quo reſurrectionis in omnibus.* Ad probandum, quòd non omnes

P 2 mori-

Locus 11.

D. Tho. in 4. d. 43. q. 1. art. 4. ad 3. & rurſum: in Addit. 3. part. q. 78. a. 1. ad 3.

Digitized by Google

morientur qui reſurrecturi ſunt, aſſumit tertium argumentum hoc modo: *Aug. in Ench. dicit, quòd quatuor ultimæ petitiones orationis dominicæ ad præſentem vitam pertinent, quarum una eſt dimittere nobis debita noſtra; ergò Eccleſia petit in hac vita ſibi omnia debita relaxari: ſed Eccleſiæ oratio non poteſt eſſe caſſa, quin exaudiatur. Ioan. 14. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. ergò Eccleſia in aliquo huius vitæ tempore omnium debitorum remiſſionem conſequetur: ſed unum de debitis, quo pro peccato primi parentis adſtringimur eſt, quòd naſcimur in originali peccato, ergò aliquando hoc Eccleſiæ DEVS præſtabit, quòd homines ſine peccato originali naſcentur: ſed mors eſt pœna originalis peccati. ergò aliqui homines erunt circa finem mundi, qui non morientur, &c.* Ad hoc argumentum reſpondet dupliciter. primò: *Quòd hoc eſt erroneum dicere, quod aliquis ſine originali peccato concipiatur præter Chriſtum, quia ſic non indigeret redemptione per Chriſtum.* Intellige hic erroneum eſſe dicere, quod aliquis ſine originali concipiatur ex vi legis ordinariæ ſecluſo privilegio, uti fatentur Thomiſtæ ſuprà citati n. 4. Secundò ſubdit S. Thomas admittendo caſum, quòd aliqui concipi poſſint ſine originali, negat tamen, quòd non ſint habituri debitum originalis contrahendi, & propter hoc debitum, docet quòd indigebunt redemptione Chriſti, verba ejus ſunt: *Nec poteſt dici quod non hac redemptione indiguerunt, quia præſtitum fuit eis, ut ſine peccato conciperentur: quia illa gratia facta eſt parentibus, ut in eis vitium naturæ ſanaretur; quo manente, ſine originali peccato generare non poſſent; vel ipſi naturæ, quæ ſanata eſt. Oportet autem ponere, quod quilibet perſonaliter redemptione Chriſti indigeat, non ſolùm ratione naturæ: liberari autem à malo, vel à debito abſolvi non poteſt, niſi qui debitum incurrit, vel in malum deiectus eſt; & ità non poſſent omnes fructum Dominicæ redemptionis in ſeipſis percipere, niſi omnes debitores naſcerentur, & malo ſubiecti: unde dimiſsio debitorum, & liberatio à malo non poteſt intelligi, quòd aliquis ſine debito, vel immunis à malo naſcatur, ſed quia cum debito natus, poſtea per gratiam Chriſti liberatur.* Quid clariùs? Duo hic D. Thomas agnoſcit, quæ Immaculatæ Conceptioni probandæ ſubſerviunt. Alterum eſt gratia præſervativa, ſeu redemptio; alterum diſtinctio peccati & debiti, quæ ſine dubio, ſi in aliquo caſu concedenda ſunt ſecundum D. Thomam, concedenda ſunt, cùm de B. Virgine agitur. Id obſervavit nobilis Thomiſta Ioannes à S. Thoma; unde ad locum allegatum inquit: *Ponderandum eſt D. Thomam ne-*

Probatio 21.

Ioan. à S. Thoma in 1. p. To. 1. Diſp. 2. a. 2.

vel

gare illam gratiam præſervativam , quæ fieret parentibus tantùm, vel naturæ, non ipſi perſonæ: eoquòd reputat ut magnum inconveniens, quod aliqua perſona in ſe perſonaliter non egeat redemptione. Eſt poſt paucula interjecta: *Secundò pondera, quòd ad liberationem per Chriſtum diſiunctivè poſtulat D. Thomas vel debitum, vel culpam in eo, qui redimendus eſt, ergò ſi ſufficienter ſalvat D. Thomas redemptionem per Chriſtum in aliquo, qui ſolùm naſceretur cum debito, non amplius requirit, quando loquitur de Virgine, & infert pro inconvenienti, quia alias non indigeret redemptione per Chriſtum. Intelligit enim, quòd non indigeret ſi conciperetur ſine debito, aut ſine peccato: non tamen ſi conciperetur ſine peccato, dummodo conciperetur cum debito in perſona. &c.* Adderem plura niſi ſtuderem brevitati.

§. XII.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam, quod Probatur Ex Tomo X. Operum.

Locus 12. 13. 14. 15.

I. DVodecimus locus pro pia Sententia eſt in ſummæ Parte prima: hæc enim Tomo X. continetur. Verba Divi Thomæ ſunt: *Dicendum quòd humanitas Chriſti ex hoc, quòd eſt unita DEO; & beatitudo creata, ex hoc quòd eſt fruitio DEI; & B. Virgo ex hoc quòd eſt Mater DEI, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt DEVS; & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe DEO.* Hæc doctrina eadem eſt cum altera ſuperius tradita, & expoſita; unde hic repetenda non ſunt, quæ ibi dicta. Referri tamen hunc locum decuit, ut oſtendatur pluries Immaculatæ Conceptioni faviſſe D. Thomas, idem non ſemel inculcando, quòd Beata Virgine ut Matre DEI infinitè quodammodo dignâ, nil melius facere potuerit DEVS; quæ veritas conformis eſt doctrinæ veterum Patrum & Theologorum, qui ex Maternitate Virginis colligunt eius Innocentiam originalem. Origines: *Mater eius Mater Immaculata, Mater incorrupta, Mater eius, cuius eius? Mater DEI Vnigeniti. &c.* B. Laur: Iuſtin: *Quotquot ex ipſa nati ſunt propagine, exceptis duntaxat mediatore DEI, & hominum; homine Chriſto IESV, & eius Matre ſub*

D. Tho. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4.
Locus 12.

Probatio 22.

Orig. hom. 1. in Math.
Laur. Iuſt. de caſto coñub. c. 7.

Digitized by Google

D.Tho. de Villanov. ſer. 3. de Nativ. Deip.
Marſil. in 2. ſent. q. 20. a. 3.

ſub hac peccati lege ſunt conditi. &c. S. Thomas de Villanova: *Antequam conciperet Filium DEI, iam idonea erat, ut eſſet Mater DEI: ſed qualis eſt hæc dignitas? Vtiq; habet quandam infinitatem eſſe Matrem infiniti, & omnipotentis. &c. propter quod SS. Evangeliſtæ de eius laudibus ſilent, quoniam ineffabilis eſt eius magnitudo, ſatis fuit de ea dicere, De qua natus eſt IESVS.* Eleganter etiam celeberrimus Theologus Marſilius: *Nuſquam in ſacra Scriptura habetur, quòd fuit ſanctificata de peccato originali, ſicut habetur de S. Ieremia. Ier. 1. & de S. Ioanne Bapt. Lucæ 1. Et quare hoc Scriptura non expreſſit de Virgine, ſicut de minoribus eâ? Certè videtur, quòd ex eo, ne Matrem Domini quandoque ſub peccato fuiſſe aſſereret, quod in crimen læſæ Maieſtatis Reginæ Cœli aliquo modo redundaret.*

D. Thom. 1. P. q. 62. a. 3.
Locus 13. Probatio 23.
Catal. in Epiſt.

II. Tertius decimus locus in favorem piæ Sententiæ eſt in eadem Parte 1. ſummæ. q. 62. art. 3. ubi S. Doctor ait de Angelis: *Tenendum, & magis dictis Sanctorum conſonum eſt, quòd fuerunt creati in gratia gratum faciente.* Ex quo infert Doctiſſimus Gaſpar Catalan D. Thomæ diſcipulus: *Igitur hoc Privilegium B. Virgini non eſt negandum.* probo conſeq. B. Virgo ſecundùm eundem S. Doctorem *Exaltata eſt ſuper Choros Angelorum, ſicut S. Hieron. tradit & Eccleſia de illo cantat*, ergò à fortiori, ſi Angeli ſunt creati in gratia, ſequitur ex principijs Divi Thomæ, quòd etiam anima B. Virginis ſit creata in gratia & quidem maiori.

D.Tho. in 1. d. 44. q. 1. a. 3.
D. Tho. 1. p. q. 62. a. 3.
Locus 14.
1. p. q. 100. a. 1.
Probatio 24.
in 1. Sent. d. 44. q. 1. art. 3.

III. Quartus decimus locus eandem habet vim argumentationis, dicit enim S. Doctor loquens de primo homine: *quod fuerit conditus in gratia ut alij dicunt videtur requirere ipſa rectitudo primi ſtatus, in qua DEVS hominem fecit.* & alibi: *De primo homine ſupra diximus, quòd fuit cum gratia conditus.* Ex quo iterùm infertur: *Igitur hoc privilegium B. Virgini non eſt negandum.* probo conſeq. B. Virgo inter puros homines, quoad excellentiam, & dignitatem primum locum tenet; & ut S. Doctor docet, poſt Chriſtum eſt maximè propinqua DEO, quià quidlibet *quantò nobiliori comparatione in DEVM refertur, nobilius eſt & ſic humana natura in Chriſto nobiliſſima eſt &c. & poſt B. Virgo, de cuius utero caro divinitati unita &c.* ergò ſi Adami & Evæ animæ creatæ ſunt in gratia, à fortiori B. Virginis anima eſt creata in gratia. Hæc argumentatio conferenda cum ijs, quæ lib. 1. Operis Fund. II. ex SS. Patribus depromuntur; & emphaſim habebit. Cum illis item, quæ dicimus eodem lib. Fund. IV. in Rationibus Theologicis.

IV.

IV. Quintus decimus locus ex eadem 1. parte deſumitur, ubi S. Doctor quærit; *Vtrùm pueri in ſtatu innocentiæ nati fuiſſent in iuſtitia confirmati,* reſpondet negative, & aſſignat rationem, quia confirmatio creaturæ rationalis in iuſtitia fit per beatitudinem, beatitudo autem importat apertam DEI viſionem, quæ viatoribus non competit. addit verò: *Et hoc dico ſecundùm legem communem, quia ex aliquo Privilegio ſpeciali ſecùs accidere poteſt, ſicut creditur de Virgine Matre DEI.* Ex hoc ſic arguo: Eſt diſpenſabilis reſpectu B. Virginis, lex communis, de non concedenda confirmatione in gratia, & impeccabilitate viatoribus; ergò à pari eſt diſpenſabilis lex communis de contrahendo peccato originali ab Adæ poſteris, ergò ſicut D. Thomas concedit B. Virginem in via confirmatam in gratia, ità cenſendus eſt concedere eam ex ſpeciali privilegio non contraxiſſe actu peccatum originale. conſeq. probatur. quià motivum, ex quo DEVS Virginem in gratia confirmavit, eſt univerſale extendens ſe ad omnem gratiam, quam decebat conferri Matri DEI ex eo, quòd ſit Mater DEI; ergò attingit etiam gratiam non contrahendi originale, unde dixit S. Thomas: *rationabiliter creditur, quòd illa, quæ genuit Vnigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis maiora privilegia gratiæ acceperit præ omnibus alijs:* plura dicit privilegia non unum; inſinuat ergò, quod in omni lege diſpenſabili (dummodò talia privilegia redundent in honorem Matris DEI, quale eſt non contrahere peccatum originale) privilegia maiora alijs acceperit Mater DEI, alioqui S. Doctor non ſatis conſequenter loqueretur.

D. Tho. 1. p. q. 100. art. 2.
Locus 15.
Probatio 25.
3. p. q. 27. art. 1.

§. XIII.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe originali Conceptam. Ex Thomo XI. Operum.

Locus 16. 17. 18.

I. SExtus decimus locus in favorem Immacultæ Conceptionis apud D. Thomam eſt 1. 2. q. 81. art. 5. ubi ait S. Doctor:

D. Tho. 1. 2. q. 81. a. 5. ad 3.

Locus 16. ctor: *Oportebat, ut Mater DEI maximâ puritate niteret. Non enim eſt aliquid dignè receptaculum DEI niſi ſit mundum, ſecundùm illud Pſ. 93. Domum tuam Domine decet ſanctitudo.* Obiecerat ſibi ex Damaſceno: *quòd Spiritus S. prævenit in Virginem, de qua Chriſtus erat abſq; peccato originali naſciturus, purgans eam: ſed illa purgatio non fuiſſet neceſſaria, ſi infectio originalis peccati non contraheretur ex matre.* Reſpondit ergò adhoc: quod illa purgatio præveniens *non requirebatur ad auferendam transfuſionem peccati originalis, ſed quià oportebat ut Mater DEI maximâ puritate niteret.* Agnoſco

Probatio 26. argumenti vim: vult dicere S. Thomas: Ideò Spiritus S. ſupervenit in Virginem parituram DEUM; quià oportebat, ut Mater DEI maximâ puritate niteret. Inferò: ergò etiam B. Virgo in ſua Conceptione paſſiva fuit immunis ab originali, quià oportebat, ut Mater DEI maximâ puritate niteret. probo illatum: Major eſt puritas nunquam contrahere originale, quam aliquando contrahere, & mundari ab illo; ergò ut Mater DEI maximâ puritate niteret, debuit nunquam contraxiſſe originale. Et certè non benè attribueret S. Thomas DEIparæ maximam puritatem, ſi crederet eam aliquando fuiſſe infectam originali peccato; quia poſſet illi obijci majorem adhuc puritatem eſſe poſſibilem, quæ eſſet etiam immunitas ab originali pro omni temporis differentia. Ommitto hic expendere, quod dicat hoc loco S. Doctor receptaculum DEI debere eſſe mundum; domum DEI debere eſſe ſanctam &c. quià alibi de his plura.

II. Decimusſeptimus locus eſt in eodem Tomo. 2. 2. q. 10. a. 12. ubi in alia materia loquens S. Doctor diſertè ait: *Dicendum, quòd maximam habet authoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper eſt in omnibus æmulanda: quià & ipſa doctrina Catholicorũ Doctorum ab Eccleſia authoritatem habet: unde magis ſtandum eſt authoritati Eccleſiæ, quàm authoritati vel Auguſtini vel Hieronymi; vel cuiuſcunq; Doctoris.* Hoc effatum ad omnes ſe extendit veritates diſputabiles: Subſumo igitur in materia præſenti, ſed eſt nunc authoritas Eccleſiæ, licet non definitiva, quòd B. Virgo ſit concepta ſine macula originali, ergò ſecundùm doctrinam D. Thomæ nunc ità ſentiendum, & dicendum eſt. Subſumptum probo totis duobus libris Primo & Secundo hujus Operis, conſequentia rectè infertur. Unde nihil dubito ſi S. Doctor defacto viveret, & tanto univerſalis Eccleſiæ conſenſu Immaculatam DEIparæ Conceptionem, coli, defendi, propugnari videret, non ſolùm ſcripta ſua ubi obſcurius hanc veritatem propoſuiſſe vide-

D. Tho. 22. q. 10. a. 12. Locus. 17.

Probatio 27.

videtur, elucidaret; ſed etiam in Diſcipulos ſuos inveheretur, quòd eorum aliqui tergiverſentur ſuam doctrinam in meliorem partem interpretari. Dicunt, non coli Conceptionem B. Virginis ab Eccleſia; ſed, ut S. Doctor aſſeruit: *quià quo tempore ſanctificata fuerit ignoratur, celebratur feſtum ſanctificationis eius potius, quàm Conceptionis.* Nihil dicunt, quià per ſedem Apoſtolicam ſublata eſt celebratio ſanctificationis, & præceptum univerſale de celebranda Conceptione: unde iterùm cum S. Thoma *Dicendum quòd maximam habet authoritatem Eccleſiæ conſuetudo.* Cuius authoritati magis ſtandum eſt, quàm cuiuſcunq; Doctoris, etiam ipſius S. Thomæ, ſi contra ſenſiſſet. *3. p. q. 27. a. 2. ad 3.* *Pauli V. Greg. XV.*

III. Firmemus porrò aſſertam modò veritatem egregijs circà hoc duorum Thomiſtarum Sententijs, ut & cœteri æmulentur chariſmata meliora. Prior occurrit Amb. Catherinus, qui ſic commilitones alloquitur: *Vt in anguſtum vos concludam, putatiſne Eccleſiam in hac celebratione quam tradit, & Concil. Trid. confirmat, ullum eſſe peccatum, vel peccandi periculum, an non? ſi primum aſſeritis, huiuſmodi aſſertio iamdudum ad perfringendum eorum temeritatem, qui ita blaſphemabant, ſecuri anathematis ab illa ſede in dicta Decretali grave nimis: ut falſa, & erronea damnata eſt. Si autem hoc aſſerere non poteſtis, nec audetis; quid ergò cauſæ eſt, cur in tàm piam & ſecuram Sententiam cum reliquo Chriſtiano orbe non concurritis?* Alter eſt recentior Gaſpar Catalan nuper electus Epiſcopus Ilerdenſis: *Admiſſo, quòd in alijs ſuæ doctrinæ locis dixerit S. Thomas, Virginem contraxiſſe culpam originalem; hiſce tamen diebus iuxtà admonitionem, ac doctrinam ipſius Sancti, tenentur eius Diſcipuli ſequi opinionem piam, quà ſtabilitur ab eadem fuiſſe præſervatam: nam Doctor Angelicus monet, ac conſulit, quodſi quis invenerit in ſuis ſcriptis aſſerta contraria, aut opiniones ſibi invicem obviantes, ſequatur quod magis veritati conſonum iudicaverit. Prætereà authoritas Eccleſiæ adeò invaluit, ac ſe declaravit in piæ opinionis favorem univerſali conſuetudine celebrandi feſtivitatem Puriſſimæ Conceptionis, aut puritatis B. Virginis in ſua Conceptione, ut nullus iam dubitandi locus relinqui videatur, quòd opinio pia ſit veritati conformior, quàm oppoſita.* Deinde cùm retuliſſet Sententiam D. Thomæ ſuprà relatam, ſubijcit: *Ex quo infertur S. Thomam ſi vidiſſet conſuetudinem communem, quæ iam viget in Eccleſia, de ſolemnizanda feſtivitate puritatis Virginis ſanctiſſimæ in ſua Conceptione, per tot Brevia Pontificia confirmata, ex ea deſumpturum argumentum validiſſimum, de eaq; ſibi valiturum ad probandum,* *Ambroſ. Cather. Tract. de Concept.* *Catalan. in Ep. ad Mich. de Lanuza.*

 quòd

quòd Beatiſſima Virgo fuit Sancta in ſua Conceptione, ſicut uſus fuit conſimili Eccleſiæ conſuetudine ad probandum, quòd fuit Sancta in ſua Nativitate. Hæc Catalan Dominicanus.

IV. Decimus octavus locus eſt. 2.2. q. 164. a. 2. ubi S. Doctor loquens de pœnis conſequentibus originale peccatum, dicit *Ad 3. dicendum, quòd illæ pœnæ aliqualiter ad omnes pertinent. Quæcunq; enim mulier concipit, neceſſe eſt quòd ærumnas patiatur, & cum dolore pariat præter B. Virginem, quæ ſine corruptione concepit, & ſine dolore peperit: quià eius Conceptio non fuit ſecundùm legem naturæ à primis parentibus derivata.* Quam vim habeat hoc DEIparæ Privilegium, quòd ſine dolore pepererit. infrà oſtendo §. 22. n. 3. & 4. item §. 24. hic ſolùm adverto, verba hæc D. Thomæ tâm poſſe intelligi de Conceptione paſſiva, quàm activa B. Virgine; & multò congruentius de paſſiva; quià ſi dicatur Conceptio paſſiva DEIparæ non fuiſſe ſecundùm legem naturæ à primis parentibus derivata, id eſt ſecundùm legem naturæ originali peccato infecta, optimè intelligetur, quâ ratione B. Virgo cùm pareret libera fuerit à partùs doloribus. Nam dolor partùs ità eſt pœna peccati originalis; ut, quæ caret peccato originali, & nunquam illo fuit infecta, libera etiam ſit ab hac pœna: econtrà etiam omnis, quæ ſecundùm legem naturæ à parentibus derivata, id eſt contrahendo peccatum originale concipitur, ſi deinde concipiat & pariat, non parit ſine dolore. Eximendo igitur ab hac pœna Virginem Matrem S. Thomas, cenſendus eſt etiam eximere illam à cauſa pœnæ. Et licet, ut dixi, verba hic allata poſſint intelligi de Conceptione activa, de qua potiſſimum in articulo quæritur, tamen cùm alter ſenſus de Conceptione paſſiva æquè conveniens ſit, imò convenientior, videtur valdè rationabile, ut potius in hoc ſenſu D. Thomas explicetur, quàm in alio, cùm iſte ſit honori Mariano favorabilior, cui devotiſſimus etiam fuit D. Thomas.

D. Tho 2. 2. q. 164. a. 2. ad 3. Locus 18. Probatio 28.

§. XIV.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam, Ex Tomo XII. Operum.

Locus

Locus 19. 20. 21.

I. IN hoc Tomo, qui Tertiam partem ſummæ complectitur diutius immorabimur, quàm in alijs, & diſtribuemus in plures §§. quod uno comprehendi non poteſt. Igitur Decimus nonus locus eſt q. 7. a. 10. ubi D. Thomas quærit *Vtrùm plenitudo gratiæ ſit propria Chriſto.* Et cùm ſibi obiecißet: dicitur enim Luc. 1. Beatæ Virgini; *Ave gratia plena.* Reſpondet ad primum: *Dicendum quòd B. Virgo dicta eſt plena gratiâ, non ex parte ipſius gratiæ, quia non habuit gratiam in ſumma excellentia, quâ poteſt haberi, nec ad omnes effectus gratiæ, ſed dicitur fuiſſe plena gratiâ per comparationem ad ipſam; quiâ ſcilicet habebat gratiam ſufficientem ad ſtatum illum, ad quem erat electa à DEO, ut eſſet ſcilicet Mater Vnigeniti eius.* Ex hoc loco deſumitur argumentum pluries iam repetitum à conditione DEIparæ, quatenus erat Mater DEI; decuit autem, ut Mater DEI tantâ puritate niteret, quâ maior ſub DEO nequit intelligi, ut ex Anſelmo alibi S. Doctor dixit; ergò non obſtante, quòd non debebatur Matri DEI gratia in ſumma excellentia, debebatur tamen ſufficiens, & proportionata tanquam Matri DEI, in qua proinde comprehendi debuit ſumma puritas & immunitas à peccato. Videantur de hoc alibi dicta de Maternitate DEI, ne toties eadem repetantur. 2. Ex hoc eodem loco aliud argumentum ſuppeditat ipſe Caietanus, quod certè ab adverſario extortum magni faciendum: ait enim: *Plenitudo gratiæ ſecundùm ſe attenditur hîc tàm intenſivè quàm extenſivè: & ſimiliter plenitudo gratiæ ex parte ſubiecti attenditur tam intenſivè quam extenſivè.* Interjectis deinde nonnullis: *In reſponſione ad primum nota ſobrietatem doctrinæ præſentis circà plenitudinem gratiæ in B. Virgine: ſcilicet ut ſit plena gratiâ tàm intenſivè quàm extenſivè non plenitudine gratiæ ſecundùm ſe (quia illa eſt propria Vnigenito à Patre) ſed plenitudine tam intenſivè quam extenſivè requiſitâ ad Matrem DEI.* Nolo iam ponere vim in hoc, quòd ut B. Virgo eſſet idonea Mater DEI debuerit gratia illi collata extendi etiam ad puritatem originalem, & puritas debuerit extendi ad omne inſtans vitæ, quod facilè eſſet ex verbis Caietani præter ipſiuſmet intentionem deducere; ſed ex clauſulâ, quam adiungit, argumentum formo, ubi ait: *Lauda in ea gratiam, ſed in ſummo ex parte ſubiecti ſuprà omnem puram creaturam: hæc enim plenitudo Matrem DEI decet, quæ ſuper omnes eſt puras creaturas exaltata.* Infero: ergò concedit Caietanus, quòd omnis illa gratia, quæ alicui puræ crea-

Locus 19. D. Tho. 3. p. q. 7. a. 10. ad 1.

Probatio 29.

Caiet. 3. p. q. 7. a. 10.

Probatio 30.

Caiet. cit.

Digitized by Google

creaturæ conceſſa eſt, etiam conceſſa ſit B. Virgini: ſed (quod negare non poteſt) Adam, & Eva, & Angeli ſunt creati cum gratia, & juſtitia originali, & fuerunt in primo inſtanti ſuæ creationis puri ab omni macula peccati, ergò hæc gratia, quæ eſt eſſe purum ab omni macula, conceſſa fuit in primo ſuæ animationis inſtanti B. Virgini, *quæ eſt ſuper omnes puras creaturas exaltata.* ad mentem D. Thomæ.

D. Thom. 3. p. q. 25. a. 5. *Locus 20.* II. Vigeſimus locus in hac Tertia Parte eſt quæſt. 25. a. 5. ubi quærit S. Doctor: *Vtrùm Mater Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ.* Et pro affirmativa adducit argumenta: *Videtur enim idem honor eſſe exhibendus Matri Regis, & Regi, unde dicitur 2. Reg. 2. Quod poſitus eſt Thronus Matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius. Et Auguſt. dicit in ſermone de Aſſumptione. Thronum DEI, & thalamum Domini cœli, atq; Tabernaculum Chriſti, dignum eſt ibi eſſe ubi eſt ipſe &c. Præt. Damaſc. dicit in 4. lib. quòd honor Matris refertur ad Filium.* Ex his omnibus formare liceret argumenta, cùm illa D. Thomas non refutet, & facilè aptarentur Immaculatæ Conceptioni: Sed cùm alibi ſimilia attingam, hic contentus ero reſponſione S. Doctoris ubi ait: *Locus 21.* *Dicendum, quòd quia latria Soli DEO debetur, nulli creaturæ debetur latria &c. Cùm igitur Beata Virgo ſit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ; ſed ſolùm veneratio duliæ, eminentiùs tamen, quàm cœteris creaturis, in quantum ipſa eſt Mater DEI: & ideò dicitur, quòd debetur ei non qualiſcunq; dulia, ſed hyperdulia.* *Probatio 31.* Voluit DEVS, ut Mater Filij ſui coleretur, honoraretur eminentiùs, quàm cœteræ creaturæ, & non voluiſſet ut pura, & Immaculata ab omni peccato eſſet eminentiùs quàm cœteræ creaturæ? 2. Omnes aliæ gratiæ attribuuntur B. Virgini, quæ alicui puræ creaturæ unquam conceſſæ ſciuntur, ex eo, quia fuit Mater DEI; & negemus illi etiam hanc gratiam conceſſam, ut anima ejus ſicuti Adæ, ſicut Evæ, ſicut Angelorum crearetur immunis ab omni peccato?

§. XV.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe originali Conceptam. Ex eodem Thomo XII. Operum.

Locus

Locus 22. 23. 24. 25.

CEleberrimus eſt ab utraque opponentium parte citari
I. ſolitus Articulus 1. & 2. q. 27. in 3. Parte. Plura hic *D. Tho. 3.*
occurrunt pro pia Sententia. Quærit S. Doctor Arti- *p. q. 27.*
culo 1. *Vtrùm B. Virgo Mater DEI, fuerit ſanctiſicata ante Nativi-* *a. 1.*
tatem ex utero? & reſpondet affirmativè: *Contrà eſt quòd Eccle-* *Locus 22.*
ſia celebrat Nativitatem B. Virginis, non autem celebratur feſtum in
Eccleſia, niſi pro aliquo Sancto, ergò B. Virgo in ipſa ſua Nativitate
fuit Sancta: fuit ergò in utero ſanctivicata. Hoc argumentum
jam ſup. §. 10. expendimus: ſed non obſtat quin denuò id ru- *Probatio*
minemus. Aſſumo igitur minorem S. Thomæ pro argumento *32.*
meo; ut locum maioris teneat: *Non celebratur feſtum in Eccleſia,*
niſi pro aliquo Sancto, id eſt, niſi obiectum feſti ſit ſanctum; ſed
jam celebratur ab Eccleſia feſtum Conceptionis, ergò obiectum
feſti Conceptionis eſt ſanctum, iuxtà doctrinam, & principia S.
Thomæ. Maior eſt D. Thomæ: minor conſtat; quià per Ec-
cleſiam ſimpliciter nominatam S. Doctor intelligit Eccleſiam
Romanam, & univerſalem; atqui hæc defacto ſub ritu duplici
celebrat Conceptionem B. Virginis, ergò ſanctam. Neq; dicas,
quòd celebret ſanctificationem poſt animationem, quià ut ſu-
prà dixi hoc vetant defacto Pontifices; deinde, Conceptio, &
tempus poſt animationem non ſunt idem: cum igitur Eccleſia
Cōceptionem celebrat, celebrat vel Conceptionem ſeminalem,
vel formalem ſeu animationis, non aliquod inſtans poſt anima-
tionem. Progrediamur, quia de hoc alibi plura.

II. Tertius & vigeſimus locus ibidem habetur: *Dicendum,* *D. Tho. 3.*
quòd de ſanctificatione B. MARIÆ, quòd ſcilicet fuerit ſanctificata *p. q. 27.*
in utero, nihil in ſcriptura Canonica traditur, quæ etiam nec de eius *a. 1.*
Nativitate mentionem facit: ſicut tamen Auguſtinus in ſermone de *Locus 23.*
Aſſumptione ipſius Virginis rationabiliter argumentatur, quòd cum
corpore ſit Aſſumpta in cælum (quod tamen Scriptura non tradit) ità
etiam rationabiliter argumentari poſſumus, quòd fuerit ſanctificata
in utero. Rationabiliter enim creditur, quòd illa, quæ genuit Vnige-
nitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus alijs maio-
ra privilegia gratiæ acceperit. Vnde ut legitur Lucæ 1. Angelus ei
dixit; Ave MARIA gratia plena. Invenimus autem quibuſdam
alijs hoc privilegialiter eſſe conceſſum, ut in utero ſanctificarentur,
ſicut Ieremias &c. & ſicut Ioan. Baptiſtæ &c. Vnde rationabiliter
creditur, quòd B. Virgo ſanctificata fuerit antequam ex utero naſce-
retur. Medius terminus quo Angelicus Doctor probat, ratio-

nabiliter credi, quòd B. Virgo ſit ſanctificata in utero, eſt triplex: 1. Genuit Vnigenitum à Patre, plenum gratiæ, ergò majora præ omnibus alijs privilegia accepit, ergò in utero ſanctificata. 2. Angelus ei dixit: Ave gratiâ plena, ergò eſt ſanctificata in utero. 3. Quibuſdam alijs hoc conceſſum eſt ut in utero ſanctificarentur, ergò & B. Virgini. Duo prima argumenta melius concludunt pro Conceptione, quàm pro ſanctificatione poſt Conceptionem formalem. 1. Genuit unigenitum à Patre, plenum gratiæ, ergò genuit plena gratiâ, ſed non fuiſſet plena gratiâ ſi illi defuiſſet aliquid gratiæ pro primo inſtanti animationis, ergò genuit plenum gratiæ, plena gratiâ in primo inſtanti Conceptionis formalis ſanctificata, vel ſancta creata. 2. Coincidit: licet id pro medio habeat, quod in priore infertur: fuit plena gratiâ, ergò etiam pro primo inſtanti animationis, quia plenum gratiâ dicitur nec quoad intenſionem, ad tempus totius vitæ, deficere. 3. medium à paritate videtur amplius concludere, quàm in litera S. Doctoris legatur. Nam quod de Ieremia de Ioanne Baptiſta adducit exemplum referri debet ad paulò ante dicta: *præ omnibus alijs maiora gratiæ privilegia accepit*, ubi intelligi debet quoad ſanctificationis durationem, vel prioritatem; de qua quæritur in articulo: & deinde ſubſumptum: ſed Ieremias, & Ioannes Baptiſta ſunt in utero per privilegium ſanctificati poſt animationem, ergò B. Virgo (ſequitur) præ Ieremia, & præ Ioanne Baptiſta majus privilegium accepit, quoad durationem, vel prioritatem ſanctificationis; ſed illud aliud eſſe non potuit, quàm ſanctificatio in ipſo momento, ſeu inſtanti animationis; ergò. Hocipſum argumentum alijs verbis ſupra expenſum. Et certè niſi D. Thomas ſenſiſſet quòd B. Virgo prius ſanctificata fuerit, quàm S. Ioannes Bapt. & Ieremias; non dixiſſet de illa: *præ omnibus alijs maiora privilegia gratiæ accepit*. Sed dixiſſet eadem privilegia, quæ alijs: dicendo igitur *præ omnibus alijs maiora* intellexit prius illis ſanctificatam: prius autem aliud eſſe non poteſt, quàm ipſum inſtans animationis.

Probatio 33.34.35.

III. Hic tria adhuc obſervo 1. quòd Caietanus adverterit argumenti vim, ſed concluſionem ſuppreſſerit; ſequitur tamen per ſe: ait enim: *Rationabiliter creditur Beatam Virginem ſanctificatam in utero. Probatur: Maiora gratiæ privilegia B. Virgini conceſſa credantur, quàm alijs Sanctis; ſed quibuſdam Sanctis conceſſa eſt ſanctificatio in utero: ergò.* quid ergo? nonne ſequitur? ergò B.

Vir-

Virgini major Sanctificatio conceſſa eſt, quàm Sanctificatio in utero; ſubintellige poſt animationem: atqui major eſſe non potuit, niſi fieret in ipſa animatione, cùm comparatio privilegij fiat per reſpectum ad tempus, ut ſuprà dixi, & Ieremias ac Ioannes ſanctificati ſint poſt animationem, ut idem S. docet, ergò ut dicatur majus privilegium comparativè ad durationem, extendi debet Sanctificatio ad inſtans animationis.

Alterum obſervo, quòd in hoc articulo Divus Thomas loquendo de ſanctificatione DEIparæ, eam Privilegium vocet nec determinet clarè tempus ſanctificationis; quærit enim ſolùm: *Vtrùm fuerit ſanctificata ante Nativitatem ex utero*; idque affirmat, præſcindendo à quando. Similiter in ſequenti articulo quærit *Vtrùm fuerit ſanctificata ante animationem?* & negat; corollariè inferendo *Vnde relinquitur quòd ſanctificatio B. Virginis fuerit poſt eius animationem.* Hoc dictum nihil facit contrà piam Sententiam; imò illi favet: quia etiam hæc docet, quod fuerit ſanctificata, & gratiâ impleta B. V. poſt animationem poſterioritate naturæ, non temporis; cùm ergò dicit S. Thomas *quòd ſanctificatio B. Virginis fuerit poſt eius animationem*, non ſpecificando in quo ſenſu accipiat ly poſt, an pro inſtanti naturæ vel, temporis, videtur potius favere quam contrarius eſſe piæ ſententiæ. Et ſic deberet explicari à Thomiſtis, cùm ea quæ dubia ſunt, in bonum potius quàm oppoſitum ſenſum flectenda ſint. Vocando ergo S. Thomas ſanctificationem Privilegium, & præſcindendo ab inſtanti naturæ ac temporis, dicendus eſt potiùs ſupponere pro maiori privilegio, pro inſtanti naturæ. Notavit hoc doctiſſimus Ioannes à S. Thoma dignus tanto Magiſtro ejuſdem nominis Diſcipulus inquiens: *D. Thomas nunquam propoſuit quæſtionem directè: An B. Virgo contraxerit peccatum originale, an verò fuerit præſervata, ſed utrùm fuerit ſanctificata ante animationem.* Cur hoc? cur non aſſeruit in ipſa animatione vel infectam originali, vel ſanctificatam? quià credidit nunquam fuiſſe infectam; & quià hæc erat recens aliquorum tantùm Sententia, noluit illam expreſsè docere; ſed tamen in ejus favorem etiam oppoſitam prætermiſit. Caietanus ad hunc locum: *Cuius opinionis Auctor hic non meminit, quià tempore ſuo non erat adinventa, omnibus communiter tenentibus Beatam Virginem Conceptam in peccato originali.* Poſtremum verùm eſt, quòd tempore S. Thomæ communiter Scholaſtici tenuerunt B. Virginem Conceptam in originali, ſed per Conceptionem intelligebant Conceptio- **Caiet. 3. p. q. 27. a. 2.**

ceptio-

ceptionem ſeminalem: primum verò falſum; quià ſupra oſtendi ex D. Bonaventura, illam quæſtionem tempore D. Thomæ agitatam, licet à paucis: *An fuerit ſanctificata in inſtanti infuſionis animæ*, ergò fuit opinio illa tempore S. Thomæ inventa. Fortè voluit Caietanus inſinuare, quod illa quæſtio & opinio quia paucis nota, latuerit D. Thomam; hoc fateor mihi credita difficile, ſed quod noluerit de illa tractare in terminis, hoc mihi ſolet ſæpius in mentem venire, cùm lego, quæ de ſanctificatione ſcripſit; & nuſquam reperio hujus quæſtionis directam mentionem. Verum quidem eſt, quod in ſcripto Pruno in Magiſtrum Sententiæ dicat S. Doctor: *Ad ſecundam quæſtionem dicendum, quòd ſanctificatio B. Virginis non potuit eſſe decenter ante infuſionem animæ, quià gratiæ capax nondum erat, ſed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis, ut ſcilicet per gratiam tunc ſibi infuſam conſervaretur, ne culpam originalem incurreret.* Item in ſecundo Scripto ad Annibaldum ſimilia: *Ad hoc dicendum quòd B. Virgo nec ante Conceptionem, nec in Conceptione ante animæ infuſionem ſanctificata fuit, quia proprium ſubiectum gratiæ ſanctificantis eſt anima, nec in ipſo inſtanti infuſionis animæ, quià ſic non contraxiſſet originale, ſicut nec Chriſtus. &c.* ità in Editione Antverpiana Anni 1612. curâ Patris F. Coſmæ de Morelles. Alibi non lego de inſtanti infuſions animæ. Sed quià mihi non perſuadeo quòd Caietanus tam celebris Thomiſta, cujus Commentarij digni cenſentur, ut cum ipſis D. Thomæ Operibus inprimantur, non legerit D. Thomæ Scriptum in Magiſtrum Sententiarum, ſive primum, ſive ſecundum ad Annibaldum; aut prædicta verba non adverterit: non poſſum mihi etiam perſuadere quòd prædicta verba: *ſed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis animæ &c.* ejus tempore in Divo Thoma reperta ſint, adeoq; ſuſpicor ab aliquo recentiorum addita, & intruſa: & certè, ſi tunc reperiebantur; à Caietano pro genuinis non agnita. Dixi intruſa, 1. quià nullam reverà connexionem habent cum præcedentibus, nec enim movebat D. Thomas quæſtionem ſecundam de ipſo inſtanti infuſionis animæ, ſed quærebat ſolùm an fuerit ſanctificata ante animationem. Ad hanc quæſtionem ſatis fuerat reſpondere non fuiſſe ſanctificatam ante animationem, quià nondum erat capax ſubjectum gratiæ: Superflua ergò eſt illa reſponſio *ſed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis*; ergò intruſa ab aliquo, qui videns quòd D. Thomas nullibi expreſsè negaſſet Conceptionem Immaculatam in inſtanti infuſionis animæ, voluit per tale aſſumentum

D. Thom. in 3. d. 3. q. 1. a. 1.

D. Thom. ad Annib. in 3. d. 3. q. un. a. 1.

tum

tum ſuæ opinioni patrocinium quærere. 2. Cur non etiam in ſumma D. Thomas addit *ſed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis*, ſi ſumma compendium eſt ſcripti in Magiſtrum Sententiarum, & ut volunt oppoſitæ Sententiæ ſectatores, ultimum opus Divi Thomæ? Certè in ſumma eaſdem quæſtiones proponit, quas in Sententijs, & iiſdem utitur argumentis ad probanda ſua aſſerta, cur ergò non etiam adiungit *ſed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis?* Credo ego Caietano, quòd opinio illa media *An fuerit ſanctificata in inſtanti infuſionis animæ,* fuerit *tunc inopinabilis,* non ſimpliciter ſed reſpectu ſcholæ D. Thomæ: dico reſpectu ſcholæ, quia non dubito quin S. Doctor de hac quæſtione ſciverit, ſed noluerit eam docere: ne ſi affirmet novitatis argueretur; ſi negaret, DEIparæ maculam inureret. Ac conſequenter infero illud additamentum in Sententijs ab aliquo piæ Sententiæ oſore confictum, & locum S. Thomæ utrumq; adulteratum. Quid tamen ſentio, quòd etiam prout adulteratus uterq; ille locus, piæ Sententiæ non contradicat, uti infrà oſtendam; coniecturæ meæ modo allatæ tantùm tribuo, ut ſi locum illum admittam, Caietanum ab eius ignoratione excuſare non poſſim.

IV. Tertium, quod obſervo eſt locus D. Thomæ ex 2. 2. huc applicabilis. Docet ibi S. Thomas, innocentiam eſſe maius Privilegium, & donum; quàm ſit remiſſio peccati; quæſivit enim in titulo articuli: *Vtrùm magis teneatur ad gratias reddendas DEO innocens, quàm pœnitens?* cùmq; attuliſſet argumenta pro affirmativa: *Quantò enim aliquis maius donum à DEO percepit, tantò magis ad gratiarum actiones tenetur: ſed maius eſt donum innocentiæ, quàm iuſtitiæ reſtitutæ, ergò &c.* reſpondet cum diſtinctione: *Dicendum quòd actio gratiarum in accipiente reſpicit gratiam dantis &c. dupliciter poteſt eſſe ex parte dantis maior gratia. Vno modo, ex quantitate dati, & hoc modo innocens tenetur ad maiores gratiarū actiones; quia maius donū ei datur à DEO, & magis continuatum cæteris paribus, abſolutè loquendo. Alio modo poteſt dici maior gratia, quià magis datur gratis: & ſecundùm hoc magis tenetur ad gratiarum actiones pœnitens, quàm innocens. &c.* Supponit hic ergò D. Thomas, quòd poſſibile ſaltem ſit, imò fortè quòd de facto collatum ſit alicui Sanctorum Innocentiæ donum, ergò ex eius principijs rectè inferri poteſt B. Virgini collatum donum, Innocentiæ, ut nullius indiguerit remiſſione peccati. Probatur illatio; quià præ omnibus alijs SS. maiora privilegia collata ſunt Virgini, ergò præ omnibus alijs Innocentia; ergò maior

D. Tho. 2. 2. q. 106. art. 2.
Locus 24.

Probatio 36.

Innocentia quàm ulli alteri Sanctorum, ergò præſervatio ab originali, cùm hæc ſit maxima Innocentia. Hoc videtur advertiſſe Scotus, qui idem quæſitum pertractans, inquit: *Simpliciter maius beneficium divinum eſt, conſervare innocentiam, quàm concedere poſt peccatum pœnitentiam. Vnde maius beneficium contulit DEVS Matri ſuæ, quàm Magdalenæ: quià ſingularis gloria, & ornatus eſt in Beatis nunquam cecidiſſe in peccatum.* Nequis verò aſſerat tàm Scotum quàm D. Thomam loqui de Innocentia reſpectu perſonalium ſolùmmodò peccatorum, ecce tibi Caietani ad citatum D. Thomæ locum obſervationem: *Non enim apparet ratio, quare iuſtitia ut quatuor v. g. data utrique ſcilicet innocenti, & pœnitenti; ſit maius beneficium quià data demerenti; quàm quid data ad præſervandum, ne demereatur: hæc enim conditio videtur magis beneficium animum concedentis oſtendere. In cuius ſignum dicimus, quòd maius beneficium conceſſum fuit Beatæ Virgini, ſi præſervata eſt ab originali, quàm ſi mundata eſt ab illo.* Hæc Caietanus in Dubio tertio, quod ſibimet oppoſuerat, ad quod paulò poſt reſpondet: *Donum innocentiæ non abſolutè, ſed relatum ad eum, cui datur, dicitur excedi à dono pœnitentiæ; non abſolutè, ſed relato ad malè meritum de DEO, cui datur: & hoc eſt verum. Nec obſtat exemplum de præſeruatione B. Virginis, tùm quid perſona illa, cui donum præſervationis conceſſum ſecundùm aliquos fuit, erat obnoxia peccato ex vi carnis ſuæ per propagationem immediatè genitam, & conſequenter donum tale, fuit etiam redemptivum, & liberativum perſonæ. Ac per hoc ex conditione miſerabili perſonæ donum illud redditur maius, quàm in ſe ſit. Non ſic autem in Innocentia accidit, ubi perſona non ſupponitur obnoxia peccato, quamvis potens peccare: tùm quià caſu illo diceretur, quòd B. Virgo accepiſſet maius beneficium ſecundùm quantitatem beneficij, ſed non maius ſibi, ità quòd mundata à peccato recepit maius ſibi, præſervata autē recepiſſet maius non ſibi ſed abſolutè, & ideò fuiſſet melior, dignior, & magis dilecta à DEO.* Hæc Caietanus, ubi non diſputo an ſatiſfaciat dubio, ſolùm id adverto, quòd ex mente S. Thomæ iuxta Caietani expoſitionem Innocentia ſit, quando perſona nullo eſt infecta peccato, licet poſſit peccare, adeoq; idem quod præſervatio ab omni non ſolùm perſonali actuali, ſed etiam ab ipſo originali peccato. Et quià talem Innocentiam D. Thomas de facto dari, & ſaltem poſſibilem ſupponit; aliunde etiam DEIparæ tribuit *maiora gratiæ privilegia*, quàm alijs Sanctis, conſequens videtur quòd tacitè inſinuet donum quoq; talis Innocentiæ

Scotus in 4. d. 22. q. 1. §. de tertio.

Caiet. in 2. 2. q. 106. a. 2.

tiæ collatum DEIparæ. Et niſi hanc tacitam S. Doctoris mentem Caietanus advertiſſet, vix poſuiſſet ad præfatum locum tale dubium de præſervatione B. Virginis. Qui etiam in hoc piæ adſavit ſententiæ, quòd faſſus ſit DEIparam fuiſſe *meliorem, digniorem, & magis dilectam à DEO*, ſi præſervata fuit, quàm ſi mundata ab originali: cùm ergò hæc prædicata DEIparæ in ſuperlativo conveniant, videtur ipſe quoq; Caietanus hoc loco magis propendere in piam, quàm in oppoſitam ſententiam.

V. Sequitur porrò ibidem ubi D. Thomas ait: *Ad 2. dicendum quod Auguſtinus loquitur ſecundùm legem communem, ſecundùm quam per Sacramenta non regenerantur aliqui niſi prius nati: ſed DEVS huic legi potentiam ſuam non alligavit, quin aliquibus ex Privilegio gratiam ſuam conferre poſſit antequam naſcantur ex utero.* Ex hoc loco formo argumentum ſecundùm principia Divi Thomæ pro Immaculata Conceptione. Secundùm legem communem *peccatum originale trahitur ex origine, in quantum per eam communicatur humana natura, quam propriè reſpicit peccatum originale, quod quidem fit, quando proles concepta animatur*: ſed DEVS legi communi potentiam ſuam non alligavit, quin præter illam alicui ex privilegio gratiam ſuam conferre poſſit, ergò non obſtante, quòd ſit lex communis, ut proles concepta contrahat originale peccatum, quando animatur; poteſt DEVS alicui individuo gratiam ſuam ex Privilegio conferre, & impedire contractionem peccati originalis. Ergò rectè deducitur ex principijs D. Thomæ Beatam Virginem potuiſſe præſervari ab originali in ſua animatione. Vlteriùs verò id etiam DEVM feciſſe probatur ex iiſdem principijs: quia ſi DEVS diſpenſavit cum B. Virgine in lege communi, ut eſſet ſancta priuſquam generaretur ex utero, non eſt ratio negandi quòd diſpenſaverit in lege cōmuni ne cōtraheret originale cum generaretur in utero. probo conſeq. ideò in priori lege diſpenſavit, quia futura erat Mater Filij, & *rationabiliter creditur quòd illa, quæ genuit Vnigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus alijs maiora privilegia gratiæ acceperit.* Sed hæc ratio tàm militat pro privilegio in una lege quàm in altera, ergò. Obſervo inſuper; cùm Divus Thomas loquatur de B. Virgine nondum nata, ſed in matris utero animata, & dicat in plurali *maiora privilegia*; quòd inſinuet illam non ſolùm accepiſſe privilegium ſanctæ Nativitatis, ſed etiam ſanctæ Conceptionis formalis ſeu animationis, quia non videtur pro illo ſtatu aliud privilegium de quo hic D. Thomas quæſtionem habeat, aſſignabile.

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 1. ad 2. Locus 25.

Probatio 37. D. Tho. ib. ad 4.

Probatio 38.

§. XVI.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam, Ex eodem Tomo XII. Operum.

Locus 26. 27. 28. 29.

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 2. Locus 26. I. VIgeſimus ſextus locus eſt ibidem articulo 2. in quo Doctor Angelicus quæſtionem movet *Vtrùm B. Virgo fuerit ſanctificata ante animationem :* & allatis pro affirmativa parte argumentis, negat: *Contrà eſt, quòd ea, quæ fuerunt in veteri teſtamento ſunt figura novi, ſecundùm illud 1. ad Corinth. 10. Omnia in figura contingebant illis : ſed per ſanctificationem tabernaculi, de qua dicitur in Pſal. 45. ſanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus : videtur ſignificari ſanctificatio Matris DEI, quæ tabernaculum DEI dicitur, ſecundùm illud Pſ. 18. In Sole poſuit tabernaculum ſuum. De tabernaculo autem dicitur Exodi ultimo. Poſtquam cuncta perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & gloria Domini implevit illud : ergò etiam B. Virgo non fuit ſanctificata niſi poſtquam cuncta eius perfecta ſunt, ſcilicet & corpus & anima.* Egregij planè ſenſus ex quibus deduci poteſt, quòd D. Thomas aſſeruerit Innocentiam originalem DEIparæ. Age, quid plura hic ſunt, ſingula ſeorſim expendamus.

Probatio 39. *I. Ex quæ fuerunt in veteri teſtamento, ſunt figura novi:* atqui in veteri teſtamento fuerunt Paradiſi plantatio, Arca Noë, Rubus ardens incombuſtus, Virga Aaron, Thronus Salomonis, Columna nubis &c. quæ ad mentem SS. Patrum libro 1. Operis Immaculatæ Conceptioni adaptamus, ergò S. Thomas tacitè per illam univerſalem, etiam his figuris ſubſcribit. 2. Mater DEI *tabernaculum DEI dicitur* ſecundùm D. Thomam, ſed taber-

Probatio 40. 41. 42. 43. naculum DEI nullis debet eſſe ſordibus inquinatum, ergò Mater DEI nullis debet eſſe ſordibus inquinata, ergò neq; peccato originali unquam infecta. 3. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum* DEVS, ergò alienum eſt ab omni umbra peccati etiam originalis

ginalis hoc tabernaculum. 4. *Sanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus* quando ſanctificavit? utiq; cùm præpararet, & formaret illud, ergò ſanctificavit B. Virginem in ipſo inſtanti animationis, ut eſſet tàm ſanctum tabernaculum, quàm decebat eſſe pro inhabitante DEO. 5. Non dicit D. Thomas neq; ſcriptura: Poſtquàm cuncta perfecta ſunt ſanctificavit tabernaculum; ſed poſtquàm cuncta perfecta ſunt operuit nubes tabernaculum, & gloria Domini implevit illud: quid ſi melius per operimentum nubis, & gloriam Domini tabernaculum implentem intelligatur Incarnatio Filij DEI figurata, cùm dicat Angelus: *Virtus altiſſimi obumbrabit tibi?* quo poſito debebit præſupponi ſanctificatio tabernaculi, & ſubintelligi in illis verbis *poſtquàm cuncta perfecta ſunt*, ita ut ad perfectionem tabernaculi ipſa quoque ſanctificatio pertineat. Et certè ità accipi debere ſuadent locutiones Patrum, de quibus latè diſſerimus libro I. & illud Angeli ad Virginem: Virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Lucæ 1. unde; Infero: ergò dum perficeretur tabernaculum DEI B. Virgo, ſanctificata eſt, ſed perfectio ejus fuit in conjunctione animæ cum corpore, in infuſione & creatione animæ, ergo tunc ſancta fuit B. Virgo. 6. Videtur hocipſum inſinuare D. Thomas, cùm ait: *ergò etiam B. Virgo non fuit ſanctificata, niſi poſtquàm cuncta eius perfecta ſunt, ſcilicet & corpus, & anima.* abſtrahendo ab omni differentia temporis ſupponit pro eo, quod eſt maximè favorabile DEIparæ, ergò poſterius naturâ non poſterius tempore ſanctificata eſt, quàm corpus, & anima perfecta. 7. Præterea cùm non addat D. Thomas poſtquàm anima corpori unita, ſed ſolùm poſtquam perfecta corpus, & anima; videtur contradiſtinguere duo naturæ inſtantia; unum, quo anima creatur, alterum, quo unitur corpori, quià prius intelligitur eſſe, quàm eſſe unita, & ſic, poſtquam eſt anima creata, in altero naturæ inſtanti eſt unita, & in tertio ſanctificata: totum tamen hoc perfectum eſt in primo inſtanti temporis. Quòd autem D. Thomas agnoverit hæc naturæ inſtantia, ſeu prius & poſterius naturâ, cùm alibi ſæpius de hoc agamus, placet ipſa eius verba referre: Nam in Diſputatis Quæſtionibus, ubi agit Quæſt. Vnica de anima clarè ait: *Nam quod in Gen. dicitur: Formavit DEVS hominem de limo terræ, præcedit tempore hoc quod ſequitur: Et inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ: ſed ordine naturæ tantum.* Hinc ſequitur, quòd ubi D. Thomas abſtrahendo à differentijs temporis loquitur, inter-

Ioan. Heroldt inf.

Probatio 44. 45.

D. Tho. in Diſput. q. un de anima. art. 9. ad 8.

pretandus ſit in partem favorabiliorem. Et quiâ ſic ubiq; ferè de materia Conceptionis loquitur, aſſerens poſt animationem ſanctificatam, cùm aliunde conſtet eum fuiſſe honoris Mariani Zelatorem, intelligendus eſt *poſt* naturâ non *poſt* tempore, quiâ hoc eſt favorabilius honori DEIparæ.

II. Vigeſimus ſeptimus locus ex eodem ſumitur articulo, ubi ait S. Doctor: *Cùm ſola creatura rationalis ſit ſuſceptiva culpæ, ante infuſionem animæ rationalis proles concepta, non eſt culpæ obnoxia. Et ſic quocunque modo ante animationem B. Virgo ſanctificata fuiſſet, nunquam incurriſſet maculam originalis culpæ, & itâ non indiguiſſet redemptione, & ſalute, quæ eſt per Chriſtum. &c. Vnde relinquitur quòd ſanctificatio B. Virginis fuerit poſt eius animationem.* In hoc textu recurrunt ea, quæ ſupra dicta non ſemel; quòd ſcilicet D. Thomas conſultò prætermittat quæſtionem de inſtãti infuſionis animæ & ſolùm quærat, de ſanctificatione ante animationem, & de ſanctificatione poſt animationem; præſcindẽdo ab illa media; ne vel ſequẽdo cõmunem ſui temporis Sententiã deflectat etiã in minus piam, vel adſtruẽdo piã novitatis arguatur, cùm nondum conſtaret de ſenſu Eccleſiæ Romanæ. 2. obſervo quòd dicat S. Doctor prolem ante animæ infuſionem non eſſe culpæ obnoxiam, id eſt debitricem: hanc enim vim habet vox illa *obnoxius*, ut ſupra notavi, ergo ſupponit quòd in animatione ſit culpæ obnoxia, id eſt habeat debitum contrahendi culpam, ergo verba illa: *nunquam incurriſſet maculam originalis culpæ*, poſſunt intelligi tàm de peccato originali contracto, quàm de ſolo debito id contrahendi: quod ſi ita ſe habet, rationabile eſt, quòd D. Thomas potiùs pro pia opinione, & in favorem DEIparæ, quàm pro oppoſita explicari debeat. 3. Obſervo idipſum ex medio, quo D. Thomas ſuam aſſertionem probat: *non indiguiſſet redemptione, & ſalute, quæ eſt per Chriſtum.* Adhoc ut Chriſtus dicatur Salvator, & Redemptor ſuæ Matris, ſufficit ſi Mater ejus aliquando habuit debitum, vel obnoxietatem ad peccatum originale, ut Caietanus ad hunc locum concedit, imò præſervatio à culpa eſt perfectiſſimus redemptionis modus. ergò quando dicit S. Thomas, quòd B. Virgo incurrerit maculam peccati originalis, intelligendus eſt quoad debitum, non quoad ipſam culpam: atq; adeò hoc loco plurimùm favet D. Thomas piæ ſententiæ.

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 2. Locus 27.

Probatio 46. 47. 48.

Caiet. 3. p. q. 27. a. 2.

III. Vigeſimus octavus locus ibidem ſequitur: *Ad 2. dicendum, quòd ſi nunquam anima B. Virginis fuiſſet contagio originalis*

D. Tho. cit. ad 2. Locus 28.

peccati

peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Chriſti, ſecundùm quam eſt univerſalis omnium Salvator. Et ideò ſub Chriſto, qui ſalvari non indiguit, tanquam univerſalis Salvator, maxima fuit Beatæ Virginis puritas. Secundùm ea, quæ paulò ante dixi, locus iſte hunc debet habere ſenſum: Si anima B. Virginis neque fuiſſet originali peccato infecta, neq; debitum contraxiſſet; hoc derogaret dignitati Chriſti; quidquid ſit de veritate ſequelæ, ſaltem ſenſus iſte non præjudicat piæ ſententiæ, quin potius favet. Advertit hunc ſenſum ex verbis D. Thomæ elici debere ipſe Caietanus, unde ait: *Indigere ſalvari à peccato, eſt liberari à peccato, quod habet vel haberet: oportet enim aut quod habeat peccatum, vel quòd ſit in procinctu, ſeu periculo habendi peccatum, quiſquis eget ſalvari à peccato.* ergò ex mente S. Thomæ prout illum Caietanus explicat, ad hoc ut Chriſtus ſit Redemptor B. Virginis non erat neceſſe, ut contraheret actu B. Virgo peccatum originale, ſed ſatis erat, ut haberet debitum, id eſt ut contractura fuiſſet niſi præventione gratiæ liberaretur; vel præſervaretur à culpa. Non reſpicio ad ſanctificationem fœtus de qua Caietanus, ſed ex principijs ipſius arguo pro ſanctificatione in inſtanti infuſionis animæ, quo eodem inſtanti potuit B. Virgo habere debitum contrahendi peccatum Originale, & tamen ex privilegio id non contrahere, ſive jam illud debitum ſtatim ceſſet, ut vult Soarez, ſive permaneat ſimul cum gratia toto vitæ decurſu, ut docet Vaſquez, de quo alibi. 2. Eruo hunc ſenſum eundem S. Thomæ ex verbis immediatè ſequentibus: *Et ideò ſub Chriſto, qui ſalvari non indiguit, &c. maxima fuit B. Virginis puritas.* Si maxima; ergò B. Virgo non contrahit originale peccatum, ſed ſolum debitum habuit contrahendi. Chriſtus nec contraxit peccatum originale quoad culpam, nec quoad debitum, propterea dicit S. Thomas: *Chriſtus nullo modo contraxit originale* (dicendo: *nullo modo* ſupponit plures modos contrahendi) B. Virgo verò contraxit quoad debitum, vel habuit ſolum debitum; & non ipſum peccatum. Ratio eſt clara; quia maxima puritas eſt ſub Chriſto, inter quam & puritatem Chriſti nulla datur media; ſed ſi B. Virgo contraxiſſet ipſum peccatum originale daretur alia puritas media, quæ eſſet major puritate B. Virginis, & tamen eſſet ſub Chriſto; nimirum contrahentis ſolum debitum & non ipſum peccatum, ergò ut vera ſit propoſitio D. Thomæ: B. Virginis puritas fuit maxima ſub Chriſto B. Virgo non contraxit peccatum originale, ſed ſolum debitum illius: ergò ne dicamus D. Tho-

Probatio 49.

Caiet. cit.

Soar. hic Diſp. 3. ſect. 4. Vaſq. Diſp. 116. c. 5. in 3. p.

Probatio 51.

Thomam pugnantia aſſeruiſſe, dicendum eſt, quòd hic ſit genuimus ſenſus ipſius verborum. Firmare licet hunc locum verbis Ioannis à S. Thoma, qui docens, quòd S. Thomas nullibi fuerit contrarius piæ ſententiæ, ait: *Hoc autem evidens fiet ex ipſis locis D. Thomæ, ubi ex profeſſo hanc quæſtionem tractat, in quibus videbimus eum agnoviſſe etiam præſervativam redemptionem. &c. in ipſa verò perſona producta requirit ſolùm vel debitum, vel peccatum, ut dicatur redimi, vel liberari; non verò ſolùm peccatum.*

IV. Vigeſimus nonus locus ibidem ſtatim ſequitur, ubi dicit S. Doctor: *Hoc ſignatur Iob. 3. ubi de nocte originalis peccati dicitur: Exſpectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ. Exſpectet ſcilicet culpa originalis, lucem ſcilicet Chriſtum: & non videat, ſcilicet contaminatum: nec ortum ſurgentis auroræ, ſcilicet*

Locus 29. *Conceptionis B. Virginis, de qua dici poteſt: In via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Ità locum hunc citat Peruzzinus & ità eum ab antiquis citari aſſerit: in recentioribus tamen editionibus aliter legitur: *Exſpectet lucem, id eſt Chriſtum, & non videat (quià nihil inquinatum incurrit in illam, ut dicitur Sap. 7.) nec ortum ſurgentis auroræ, id eſt B. Virginis, quæ in ſuo ortu à peccato originali fuit immunis.* Addit Peruzzinus in quibuſdam exemplaribus etiam reperiri pro illis verbis *in ſuo ortu*, in ſua Nativitate. Vnde conſtat locum eſſe depravatum, & uti ſupra oſtendi ex eodem Peruzzino, fortè totus hic articulus ſecundus quæſt. 27. corruptus eſt. Cæterùm legendum eſſe

Probatio 51. vel: *in ſuo ortu*, vel: *in ſua Conceptione* clarum eſt ex alibi dictis à S. Thoma: non enim docet S. Thomas B. Virginem Sanctificatam in Nativitate ſua, ſed ante Nativitatem; quia hoc non fuiſſet ſpeciale Privilegium in ipſa Nativitate ſanctificari. Quo poſito ſive legatur Ortus ſive Conceptio, inſtans animationis intellige debet, cùm non ſit niſi duplex ortus alter in utero, id eſt Conceptio, alter ex utero, id eſt Nativitas, & cum non loquatur de ortu ex utero, dicendum eſt eum loqui de ortu in utero. & quia aſſerit quòd nox peccati originalis nec ſolem, nec auroram ſit viſura, aſſerit ſub hac ſimilitudine carere originali tàm B. Virginem quàm Chriſtum, cum ea tamen differentia, quam prius inſinuavit, & hic repetit, quòd puritas B. Virginis ſit ſub Chriſto maxima, ſicut claritas auroræ poſt Solis claritatem. hoc enim ſimilitudo aſſumpta ſecum affert. Cui addi poſſet: quòd ſicuti, niſi Sol claritate ſua noctem diſpelleret, etiam aurora ab ejus caligine inficeretur, ſic niſi Chriſtus DEIparam

in

Digitized by Google

in ipſo ſuæ Conceptionis ortu cuſtodiret, & redimeret, ipſa peccato originali commacularetur. Et ſicuti Sol noctem fugat eodem inſtanti, quo aurora exoritur, ita ut aurora nihil de nocte participet, ita Chriſtus eo inſtanti, quo MARIA concipitur eam illuminat, & fugat tenebras originalis peccati, ut eam nihil ex his tenebris contingat. &c.

§. XVII.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe originali Conceptam. Ex eodem Tomo XII. Operum.

Locus 30. 31. 32. 33. 34.

1. ATtingimus tandem argumentorum copioſam ſegetem pro Immaculata Conceptione. Articulus 4. quæſtionis 27. in 3. p. agit de præſervatione B. Virginis à peccatis actualibus, pro qua quidquid S. Doctor adducit, facit etiam pro immaculata Conceptione, ut planè putem eum hoc loco fundamenta ieciſſe piæ opinioni ſtabiliendæ, quam certas ob cauſas noluit expreſſè docere: hoc inquam loco fundamenta iecit, quia ſupponebat ſucceſſores tàm perſpicacis ingenij fore, & deſumpturos argumentum à paritate; propterea totus articulus ità conformatus eſt, ut ſi ſolùm titulo verbum addas, & quæras: Vtrùm ità Sanctificata fuerit B. Virgo in utero Matris, ut nullum unquam peccatum etiam originale contraheret facilè totum articulum applicueris ad præſervationem tàm peccati originalis, quàm aliorum perſonalium. Vnde priusquam ad ipſa fundamenta diſcutienda veniam obſervo aliquas locutiones. 1. Dicit S. Doctor *Videtur quòd per ſanctificationem in utero non fuerit Beata Virgo præſervata ab omni peccato actuali.* Peccatum actuale tàm dicitur originale actu contractum, quàm alia perſonalia: & quià ſimpliciter quærit an per ſanctificationem in utero (non determinando tempus ſanctificationis) fuerit præſervata, intelligi poteſt præſervatio à primo inſtanti animationis incluſivè, utprimum ſcilicet gratiæ capax fuit. 2. In argumento ſecundo concludit planè ad propoſitum: *ergò Bea-*

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 4.

Probatio 52.

ta Virgo non fuit præſervata immunis ab omni peccato, dicendo vniverſaliter ab omni peccato, incluſit tàm peccatum originale, quàm alia perſonalia; & inſinuavit ſe dè utriſq; loqui. 3. In tertio ſimiliter argumento quod ſibi objicit concludit: *ergò B. Virgo non fuit præſervata immunis ab omni peccato.* 4. In oppoſitum adducit locnm D. Auguſtini, ex quo communiter pia Sententia ſtabiliri ſolet: *De Sanctâ Virgine MARIA propter honorem Chriſti nullam prorſus, cùm de peccatis agitur habere volo quæſtionem &c.* 5. expendendo rationes nulla eſt, quæ non ſolidè probet Immaculatam Conceptionem. Quis igitur aliud ſibi perſuadeat, quam quod D. Thomas hoc loco ſub alio titulo voluerit defendere Innocentiam originalem DEIparæ? quin & ipſe titulus tàm univerſalis eſt, ut comprehendat etiam quæſtionem dè peccato originali: ut taceam nomen præſervationis toties hic repetam. Sed accedamus ad ſubſtantiam.

D. Aug. lib. de nat. & grat. c. 36.

II. Locus igitur Trigeſimus eſt dicto art. 4. in quo ait D. Thomas: *Dicendum quòd illos, quos DEUS ad aliquid elegit, ità præparat & diſponit, ut ad id ad quod eliguntur, inveniantur idonei, ſecundùm illud 2. ad Cor. 3. Idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti. Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut eſſet Mater DEI, & ideò non eſt dubitandum, quòd DEUS per ſuam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, ſecundùm quod Angelus ad eam dicit: Inveniſti gratiam apud DEUM, ecce concipies &c. Non autem fuiſſet idonea Mater DEI, ſi peccaſſet aliquando. &c.* & poſtquam attuliſſet 4. rationes, concludit: *Ideò fatendum eſt, quòd B. Virgo nullum actuale peccatum commiſit, nec mortale, nec veniale, ut ſic in ea impleatur quod dicitur Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Omnia hæc probant immunitatem ab originali peccato, in B. Virgine. Vnde arguo 1. B. Virgo fuit electa divinitus ab initio viarum Domini, ut eſſet Mater DEI, ergò talis fuit electa, qualem decebat ut eſſet idonea Mater DEI: ſed non fuiſſet idonea Mater DEI, ſi aliquando peccaſſet ſive perſonaliter, ſive originaliter, ergò nunquam peccavit. Probo conſeq. ſi peccaſſet aliquando peccato perſonali veniali, non fuiſſet idonea Mater DEI ſecundùm expreſſam S. Thomæ; ergò ſi peccaſſet aliquando peccato originali actualiter, id eſt actu contraxiſſet originale, multò minùs fuiſſet idonea Mater DEI. ergò. Probo hanc minorem primò peccatum originale actu contractum eſt gravius peccato veniali perſonali, ergò ſi B. V. ſecundùm D. Thomam venialiter peccando non fuiſſet idonea

D. Thom. 3. p. q. 27. a. 4. Locus 30.

Probatio 53.

Mater

Mater DEI; multò minus fuiſſet idonea Mater DEI peccatum originale actu contrahendo. Antec. probatur: ſicut ſe habet pœna ad pœnam, ita ſe habet culpa ad culpam. Ex gravitate quippe pœnæ colligitur atrocitas delicti *L. reſpiciendum. ff. de pæn. &c. non afferamus*. 24. *q*. 1. & clarè Deut. 25. *Pro menſura delicti erit & plagarum modus*: ſed pœna illa, quæ correſpondet peccato originali, gravior eſt quàm pœna quæ correſpondet peccato veniali, ergò arguitivè peccatum originale gravius eſt quàm veniale. conſeq. eſt in forma; minor patet, quia pœna peccati originalis eſt æterna, ut definiunt Concilia; peccati verò venialis pœna eſt ſolùm temporalis. Probo ſecundò ſuperiorem conſequentiam. Maior turpitudo, & deformitas reperitur in perſona, quæ contrahit actu peccatum originale, quàm ſit in perſona, quæ contrahit ſolùm veniale, ergò ſi B. Virgo actu contraxiſſet originale, maiorem habuiſſet turpitudinem, & deformitatem, quàm ſi contraxiſſet veniale; ergò multò minùs fuiſſet idonea Mater DEI. Antecedens prob. tanta eſt deformitas in privativo, quanta bonitas vel pulchritudò in poſitivo, cuius peccatum eſt privatio; ſed peccatum originale eſt privatio iuſtitiæ originalis, gratiæ gratum facientis, amicitiæ DEI, &c. veniale verò eſt ſolùm privatio alicuius actualis nitoris animæ, in quantum impedit actus virtutum, & poteſt ſtare cum gratia, cum amicitia DEI &c. ergò maior eſt deformitas in peccato originali, quàm in ueniali. Probo 3. eandem conſequentiam ex D. Thoma. peccatum originale relinquit maculam in anima, ut conſtat ex ſæpe dictis; peccatum uerò ueniale non relinquit maculam in anima, ut dicit S. Thomas; ergò maiorem turpitudinem cauſat in anima peccatum originale, quàm ueniale; ergò ſi B. Virgo contraxiſſet actu peccatum originale, maiorem habuiſſet turpitudinem, & deformitatem, quàm contrahendo ueniale, ergò multò minus fuiſſet idonea Mater DEI. Plura argumenta, quæ ex electione B. Virginis in Matrem petuntur, uidere eſt libro 1. Operis, hic ſolùm de mente D. Thomæ quæſtio eſt, quam ex modo dictis facilè eſt diuinare.

Deut. 25

D Tho 1. 2. *q*. 86. & *q*. 89. *a*. 1.

III. Porrò afferti prima ratio eſt, quam ponit D. Thomas: *Quid honor parentum redundat in prolem, ſecundùm illud Prov*. 17. *Gloria filiorum patres eorum, unde & per ſe oppoſitum ignominia matris ad filium redundaſſet*: Maneamus in comparatione peccati originalis cum ueniali, ſiquidem D. Thomas in hoc articulo de

Locus 31. *D. Thom.* 3. *p*. *q*. 27. *a*. 4. *Probatio* 54.

Digitized by Google

peccato non tantùm mortali, ſed & veniali expreſsè loquitur, & euidenter patebit, quòd tacitè uoluerit hæc potiùs de originali intellecta. Vnde ſic arguo. Si B. Virgo peccaſſet uenialiter, ignominia matris ad filium redundaſſet, ergò multò magis ſi actu contraxiſſet originale, ignominia matris ad filium redundaſſet. Probo conſequentiam: Peccatum originale eſt naturâ ſui transfuſiuum dedecoris, & ignominiæ paternæ, & maternæ in prolem, peccatum uerò perſonale ueniale (idem ſentiendum de mortali) non eſt taliter transfuſiuum dedecoris, ut per ſe conſtat, ergò ſi ſecundùm D. Thomam B. Virgo non foret idonea Mater DEI peccando uenialiter, multò minus foret idonea Mater DEI peccando originaliter. Et quod ſi D. Thomas hic reſpexiſſet ad D. Hieronymi dictum: *Nulli dubium eſt de Matre Domini, quin talis debuerit eſſe quæ non poſſet argui de peccato, quia fuiſſet ad opprobrium Filij* D. Hier. Ep. ad Euſt.

Locus 32. IV. Altera ratio D. Thomæ eſt: *quià ſingularem affinitatem habuit ad Chriſtum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem*
Probatio 55. *2. ad Cor. 6. Quæ conventio Chriſti ad Belial?* Egregium argumentum? Chriſtus ab ea carnem accepit, ergò debuit eſſe Prorſus immaculata, & immunis ab omni peccato. Sic argumentati ſunt SS. Patres: *Vna eſt MARIÆ, ac Chriſti caro; Vnus Spiritus, una charitas: unitas diviſionem non recipit; nec ſecatur in partes, Et licet ex duobus factū ſit unum, illud tamen ultrà ſcindi non poteſt, atq; adeò Filij gloriam cum Matre, non tam communem iudico quam eandem.* Similia plura produco libro I. Op. Inter filium & matrem eſt quædam non tàm unio, quàm unitas, & identitas. *Cum filijs,* inquit Cicero, *vivi bona noſtra partimur; quia pro eadem perſona habentur.* Et in cauſis: *eadem eſt Filij ac Patris vox* leg. fin. c. Impub. *Vnum etiam corpus, & una caro* §. & verò de inutil. ſtipul. Imò *Filij à parentibus ſunt veluti alteri ipſi inſeparati.* Quodſi ità: debet eſſe ſimilitudo inter Matrem Chriſti & Chriſtum, tanta quanta eſſe poteſt; quia ipſe utpote æterna, & ſumma Sapientia non eliget è duobus id, quod deterius eſt; ſed non foret ſimilitudo inter Matrem Chriſti, & Chriſtum; ſi Mater ſubijceretur alicui Peccato etiam originali, cùm non ſit impoſſibile habere Matrem immunem ab originali, ergò ut ſit inter Matrem Chriſti, & Chriſtum tanta ſimilitudo, quanta eſt poſſibilis, debet Mater Chriſti eſſe immunis ab originali: 2.

Arnold. Carnol. lib. de laud. Virg.

Cic. in Verr. Orat. 3.

Ariſt. 8. Eth.

Probatio 56. Deinde, quæ conventio Chriſti ad Belial? Peccatum originale conſtituit ſub poteſtate Belial, ergò non erat conveniens, ut Filius

lius DEI eligeret ſibi Matrem, quæ eſſet ſerva Belial? ſed fuiſ-
ſet ſerva Belial, ſi Peccatum originale actu contraxiſſet, ergò.
3. peccatum veniale non conſtituit ſub poteſtate Belial, & ta-
men tolleret à B. Virgine idoneitatem Matris DEI, ergò multò
magis tolleret hanc idoneitatem peccatum originale, quod
conſtituit ſub poteſtate Belial; ſive ut loquitur Tridentinum:
Sub eius poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt Diabo- *Trid. Seſſ.*
li. Certè, ut omnes aliæ rationes deeſſent hæc una deberet 5.
ſufficere ad evincendum, quòd DEIpara nunquam actu con-
traxerit peccatum originale. Vt Mater vitæ ſeruiat authori
mortis? Domina mundi ſubiecta fuerit hoſti humani generis?
Quis Regum uiliſſimi ſui mancipij ſeruam, uxorem ſibi optaret,
& filium ex ea naſci uellet?

V. Tertia ratio D. Thomæ eſt: *Quià ſingulari modo DEI Fi-* *Locus 35. D. Tho.*
lius, qui eſt DEI Sapientia in ipſa habitavit, non ſolùm in anima, ſed *cit.*
etiam in Vtero. Dicitur autem Sap. 1. In malevolam animam non
introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Vis ar-
gumenti in eo eſt: Domum DEI, in qua erat habitaturus Fili- *Probatio*
us DEI decebat Sanctitudo, & perfectiſſima mundities; & quià 57.
Filius DEI in Virgine habitaturus erat non ſolùm in utero, &
corpore eius, ſed etiam in anima ſingulari modo: decebat ut
B. Virgo tàm quoad animam, quàm quoad corpus mundiſſima
eſſet, & immunis ab omni peccato; ſequitur per ſe, ergò fuit
immunis etiam ab originali peccato, ità ut nunquam id con-
traxerit: nihilominùs probo ulterius. Peccatum originale in-
ficit non tantum animam ſed & corpus, cùm traducatur à pa-
rente in prolem per ſeminalem propagationem; & ut ait S.
Thomas in carne aut *ſemine eſt ſicut in cauſa inſtrumentali:* hoc *D. Tho. 1.*
autem non habent peccata perſonalia ſive mortalia, ſive venia- *2. q. 81.*
lia; ergò cùm requirat S. Thomas munditiam tàm animæ, quàm *a. 2.*
corporis in Matre DEI, ſeu immunitatem ab infectione peccati
tàm in corpore, quàm in anima; videtur tacitè hic loqui de
immunitate ab originali. 2. Textus ſcripturæ correſpondet ra-
tioni D. Thomæ, & eam roborat, cùm de anima, & corpore
mentionem facit, ex quo iterùm Arguo: Malevola anima eſt *Probatio*
illa, quæ eſt DEO exoſa, & inimica, ergò ſi D. Thomas docet a- 58.
nimam B. Virginis nunquam debuiſſe eſſe malevolam, docet
nunquam debuiſſe actu contrahere originale. conſeq. patet, quià
originale peccatum facit animam DEO inimicam. A fortiori
hoc urget paritas de peccato veniali, quod non reddit animam

Digitized by Google

malevolam, & tamen ſecundùm D. Thomam ut B. Virgo eſſet idonea Mater DEI, non debuit unquam peccare venialiter. Arguo 3. Sapientia DEI non habitavit in corpore ſubdito peccatis, ſed nulli peccato eſt corpus magis ſubditum, quàm originali cùm mediante corporis generatione anima inficiatur; ergò DEI Sapientia non habitavit in corpore ſubdito peccato originali. A fortiori iterùm urget paritas de peccatis perſonalibus, de quibus expreſsè loquitur D. Thomas, cùm major ſit ſubjectio corporis ad peccatum originale, quàm ad alia actualia; imò ab originali tanquam à fonte profluunt paſſiones, & inclinationes ad alia peccata. 4. Videtur S. Thomas in hac argumentatione reſpexiſſe ad verba S. Anſelmi, quem ſine dubio legit: & quià S. Anſelmus de B. V. Conceptione loquitur, cenſendus eſt etiam D. Thomas tacitè hic ei ſubſcribere: *Nulli deniq; dubium, caſtiſſimum corpus, & ſanctiſſimam animam fuiſſe ab omni macula peccati protectam, utpote aulam, quam ſuus & omnium Creator DEVS, corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in ſua perſonæ unitate ineffabili fuerat operatione ſuſcepturus.* Ità Anſelmus, quibus ſimilia, & ipſe ibi ſubiungit, & nos libro 1. inſerimus.

Probatio 59.

Probatio 60.

D. Anſel. de excell. Virg.

VI. Quarta ratio D. Thomæ eſt: *Vt ſic in ea impleatur, quod dicitur Cant. 4, Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te.* Vel hinc colligi deberet S. Thomæ Sententia de Immaculata Conceptione, cùm alleget locum celebratiſſimum in hac materia. Nam verba illa macula non eſt in te 1. Videntur maximè intelligi debere etiam ſecundùm D. Thomam de macula originalis peccati, quod magis cauſat maculam, quàm alia peccata etiam mortalia; unde D. Thomas ſupponit, & ſæpe nominat maculam peccati originalis ſine ulla probatione: de peccato autem actuali an cauſet maculam ſpeciali articulo quærit, ac proinde ſupponit magis cauſari maculam, & fœdiorem à peccato originali, quam à quocunq; peccato perſonali. 2. locus hic ex Canticis eſt unus è præcipuis quibus tùm SS. Patres, tùm Scholaſtici utuntur ad probandam Immaculatam Conceptionem. Ita S. Dominicus Ord. Prædicatorum Fundator. S. Vincentius Ferrerius, Leonardus de Vtino, Ioannes Herold, Stephanus Aurelianenſis, Sanctius Porta, Ioannes Viguerius, Antonius Navarrus, Petrus Ieremias, Ioannes Bromiardus, Iacobus de Voragine, Albertus Magnus, omnes ejuſdem Ordinis, quos infrà producam. Ità etiam ex SS. Patribus S. Auguſtinus, S. Hieronymus, Sophronius, Andreas Cretenſis, S. Ildephonſus, S. Io-

Locus 34. Probatio 61.

S. Ioannes Damaſcenus, B. Petrus Damiani, Richardus de S. Victore, Hugo Victorinus, B. Laurent. Iuſtinianus, & alij, quorum multos citamus lib. I. hujus Operis. multos etiam citant Nierembergius in Sacroſyllabo. Ferdinandus Salazar. Ioan. Mar. Zamoro. & alij. 3. Planè mihi perſuadeo, rectè obſervaſſe Ambroſium Catherinum de ſuo Doctore Angelico, quòd locum hunc de Immaculata Conceptione Virginis intellexerit, ait enim apud Salazar citatum, in hunc ſenſum: *Doctor Angelicus ideò verba illa in Virgine compleri affirmat, quià caruit omni labe actualis peccati, tàm venialis quàm mortalis. Si ergò aliqua vel levis peccati venialis macula ipſi adhæſiſſet; non utiq; in ipſam ſecundùm vim ſuam quadrarent verba illa. Ita planè fateri opus eſt ex mente D. Thomæ. Si igitur ad pulchritudinem iſtam complendam, unius etiam peccati venialis maculam à Virgine removere opus eſt, quis aſſerat teterrimam illam peccati originalis labem cum tanta pulchritudine componi, & copulari potuiſſe, ità ut nihilominus Tota pulchra, & ſine macula prædicari debeat?* Sic Catherinus. Nihil addo: ad alia

Nieremb. Sacroſyll. §. 5.
Salaz. c. 26. §. 4.
Serra. lib. 2. Probatio 62.
Ambr. Cather. de Concept. lib. 3.

§. XVIII.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam, Ex Tomo XII. Operum.

Locus 35. & 36.

I. TRigeſimus quintus locus eſt in articulo 5. ejuſdem quæſtionis, ubi quærit S. Doctor *Vtrùm Beata Virgo per ſanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum.* Et ad argumenta pro negativa parte adducta opponit: *ſed contra eſt, quòd Angelus ad eam dixit Luc. 1. Ave gratiâ plena, quod exponens Hieronymus in Ser. de Aſſumptione dicit: Benè gratiâ plena, quià cæteris per partes præſtatur, MARIÆ verò ſe totam ſimul infudit gratiæ plenitudo.* Quo ſenſu verba Angeli accipienda ſint fusè tracto libro I. hic ſolùm obſervo ex mente S. Thomæ Beatam Virginem non tantùm in Filij DEI activa Conceptione

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 5.
Locus 35.
Probatio v. ſup. §. 15. n. 2.

ceptione gratiâ plenam vocari, ſed etiam in ſua Conceptione paſſiva: quodſi gratiâ plena, ergo plena pro omni tempore Conceptionis, quia plenum opponitur vacuo, ergò ſecũdum nullam ſui partem vacuum eſſe poteſt. Et ubi aliquid deeſt plenum dici nequit, ut notatur *in c. Per Venerabilem. ex. Qui filij. ibi: plenam poteſtatem.* Nec plenitudini aliquid addi valet, *d. 96 cap. Benè quidem.* Et ut Philoſophus docet, illud perfectum, quod totum habet, & nihil ei adjungi poteſt: & illud totum eſt, quod totum habet, & nihil ei deeſt; ergò ſi B. Virgo plena gratiâ, plena fuit, ut nihil ei deeſſet, defuiſſet autem, ſi vel unico inſtanti gratiâ caruiſſet, ergò non caruit. Deinde etiam conſiderari poſſent illa verba: *cæteris per partes præſtatur, MARIÆ verò ſe totam ſimul infudit gratiæ plenitudo*, quæ hunc ſenſum habere poſſunt; quòd quidquid gratiarum ſingulis aliorum Sanctorum conceſſum eſt; id cumulatè, & ſimultaneè Virgini datum. Vnde licet ſubſumere illam habuiſſe fortitudinem Martyrum, caſtitatem Virginum, zelum Confeſſorum &c. fidelitatem Moyſis, manſuetudinem Davidis, ſapientiam Salomonis, &c. & quod præcipuum in noſtro propoſito cenſeri debet, Innocentiam originalem in qua fuerunt creati primi parentes, cùm ſit etiam una gratiarum alijs conceſſarum, prout alias non ſemel aſſerimus ex ejuſdem S. Doctoris placitis.

D. Tho. ſup. *Locus 36.* II. Trigeſimus ſextus locus mox ſequitur: *Dicendum, quòd quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principij, &c. Chriſtus autem eſt principium gratiæ, ſecundùm divinitatem quidem auctoritativè, ſecundùm humanitatem verò inſtrumentaliter &c. Beata autem Virgo MARIA propinquiſſima Chriſto fuit ſecundùm humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, & ideò præ cæteris maiorem debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem obtinere.* Et infrà iterùm: *Beata Virgo MARIA tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, ut eſſet propinquiſsima auctori gratiæ, ità quòd eum, qui eſt plenus omni gratiâ, in ſe reciperet, ut eam pariendo quodammodo gratiam ad omnes derivaret.* Præter dicta ſup. §. 8. n. 2. quæ facilè huic loco

Probatio 64. accommodari poſſunt, hic obſervo 1. plenitudinem gratiæ in MARIA eſſe proximam plenitudini gratiæ ipſius Chriſti, ſicut B. Virgo eſt proxima ipſi Chriſto, ergò non datur alia plenior gratia ſeu Sanctitas, ſaltem quoad immunitatem à peccato. Cùm enim Chriſtus ità fuerit plenus gratia, ut nec peccaverit, nec peccare potuerit, proxima plenitudo gratiæ poſt hãc debet

eſſe

eſſe potuiſſe quidem peccare, ſed non peccaſſe. 2. Obſervo
comparationem DEIparæ ad Angelos, quià licet dixerit hoc lo-
co D. Thomas ex Dionyſio de cœl. hierar. *quòd Angeli, qui ſunt
DEO propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis, quàm
homines.* Subiecit tamen, Chriſtum eſſe principium gratiæ in-
ſtrumentaliter ſecundùm humanitatem; & concluſit, quià B.
Virgo ſecundùm humanitatem propinquiſſima fuit Chriſto, *i-
deò præ cæteris maiorem debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem obtine-
re.* Dicendo ſimpliciter *præ cæteris*, tàm Angelos, quàm homi- ***Probatio***
nes intellexiſſe videtur: atqui, ut alibi obſervo Angeli creati ***65.***
ſunt in gratia, & præſervati ne unquam peccarent, ergò præ il-
lis B. Virgo, cùm anima ejus crearetur impleta eſt gratiâ, & ſan-
ctitate. Advertit hanc ſequelam Caietanus ex verbis D. Tho- ***Caiet. 3. p.***
mæ elici poſſe, ideoq; præoccupare volens alteram conſequen- ***q. 27. a. 5.***
tiam : *ergò B. Virgo eſt ſine macula originali concepta,* dixit: *quòd
cùm in litera concluditur B. Virginem præ cæteris gratiam habuiſſe,
non fit comparatio ad Angelos, ſed homines tantùm.* Contrà Caie-
tanum ſentit Symmyſta ejus Medina. Cui credendum? illi pu- ***Medina***
tem, qui magis pius eſt in Virginem, & qui conformius loquitur ***cit. à***
doctrinæ Divi Thomæ. Nam Divus Thomas alibi expreſsè di- ***Martan.***
cit de B. Virgine: *Excedit Angelos quantùm ad puritatem.* de quo ***mihi p. 44.***
infr. §. 28. n. 4. Medina igitur verum dicit ; & ſi eſt compa-
ratio cum Angelis; ſequitur quod nos intulimus, eſſe B. Virgi-
nis animam creatam in gratia. Sed Caietanus obmurmurat,
quià eſt Sermo de gratia data B. Virgini in utero Matris, quam
conſtat fuiſſe minorem gratiâ Angelorum Beatorum. Vnde
conſtat? quià Angeli Beati? ſed non fit comparatio cum Bea-
tis ut beati ſunt: verùm cum Angelis creatis in prima gratia:
quomodo probabit Caietanus primam gratiam Angelis in crea-
tione collatam (& fortè ex meritis Chriſti) majorem fuiſſe,
quàm gratiam B. Virgini in utero Matris datam? De B. Virgi-
ne fatetur D. Thomas, ut paulò ante dictum, quòd in utero Ma-
tris fuerit plena gratiâ, quòd cæteris per partes, ipſi verò tota
ſe infuderit gratiæ plenitudo : ubi de Angelis primo creatis ta-
lia legit Caietanus? dixi primo creatis, quià non ſtatim fue-
runt Beati, ut clarè docet D. Thomas, ſed *oportet diverſa inſtan-* ***D. Tho. 1.***
tia accipi : in quorum uno meruerit beatitudinem, & in alio fuerint ***p. q. 62.***
beati. Cætera, quæ addit Caietanus, æquè parùm ad rem fa- ***a. 5. ad 2.***
ciunt: videatur, non enim mihi animus eſt impugnare, ubi
ſolùm expono quid S. Thomas ſenſerit.

T §. XIX.

§. XIX.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam, Ex eodem Tomo XII. Operum.

Locus 37. 38. 39. 40.

D. Tho. 3. p. q. 28. a. 2. Locus 37.

I. TRigeſimus ſeptimus locus eſt p. 3. q. 28. a. 1. ubi docet S. Doctor conveniens fuiſſe, ut Virgo DEI Filium conciperet, ex qua Virginitate omnimoda paritas deſumitur ad Innocentiam originalem, dicit enim: *Quòd enim Chriſtus ſit conceptus ex Virgine conveniens eſt propter quatuor. Primò propter mittentis Patris dignitatem conſervandam: cùm enim Chriſtus ſit verus & naturalis DEI Filius non fuit conveniens, quòd alium patrem haberet, quàm DEVM; ne dignitas DEI Patris transferatur ad alium.* Expendamus primò hanc rationem; deinde alias. Argumentum hoc eſt: Non erat conveniens, ut DEI Filius alium patrem haberet, quàm DEVM; ergò non erat conveniens, ut aliam matrem haberet quàm Virginem. Quodſi ità eſt, pariatur Virgo Mater cum Patre DEO qua de cauſa? *propter mittentis Patris dignitatem conſervandam.* ergò ſi Filij DEI Mater Virgo ſit, conſervatur dignitas DEI Patris, ergò nihil potuit dignius reperiri Virgine, nihil DEO ſimilius Virgine. Iam ſic; Mater Filij DEI debuit eſſe digniſſima, quæ quantum erat poſſibile, Patris dignitati aſſimilaretur; ſed talis non potuit eſſe, quæ Virgo quidem corpore ſed aliquando fuiſſet in anima contaminata peccato originali; ergò Mater Filij DEI non debuit contaminari peccato originali. minor probatur: debuit eſſe Virgo non qualiſcunq; ſed perfectiſſima, & integerrima, ergò nō tàm corpore quàm mente, & quidem mente ſecundùm omnem poſſibilem perfectionem; ſed mente Virgo eſt illa, quæ eſt expers omnis contagionis, & maculæ etiam originalis, aliàs non eſſet Virgo ſecundùm omnem poſſibilem perfectionem, ergò Mater Filij DEI debuit eſſe talis Virgo, quæ eſſet expers omnis contagionis, & maculæ ſecundùm omnem poſſi-

Probatio 66.

poſſibilem perfectionem, ergò etiam expers maculæ originalis. Poſſibilem autem eſſe hanc perfectionem patet, quiá defacto Eva fuit talis Virgo in Paradiſo. Argumentum hoc vim habet in doctrina D. Thomæ, qui formale Virginitatis collocat in anima & ait eſſe propoſitum perpetuò abſtinendi à delectatione venerea, materiale verò in carne; unde definit Virginitatem: *eſſe immunitatem à concupiſcentiæ aduſtione,* & ex S. Ambroſio: *caſtitas Virginalis eſt expers contagionis integritas.* Ergò illa magis Virgo, quæ tàm mente, quàm carne Virgo. Quæ autem hanc integritatem mentis habet reſpectu omnis vitij, & peccati, non ſolum eius, quod caſtitati opponitur; illa etiam perfectior Virgo & quaſi maximè Virgo cenſenda eſt: unde à primo ad ultimum; ſi conveniens erat propter Patris dignitatem, ut Filij DEI Mater Virgo eſſet, conveniens erat, ut perfectiſſima Virgo eſſet, quæ immunis etiam à labe originali, meritò appellaretur *Virgo Virginum,* & *Regina Virginum*; de qua D. Ambroſ. *Virgo erat non ſolùm corpore ſed & mente.* adjecit Gerſon: *Aliàs non Virgo mente, ſi peccato originali corrupta.* Et ſimiliter S. Ioann. Damaſc. *Semper Virginem, ſolam & mente, & animo Virginitatem perpetuo colentem.* ly *perpetuo* extendit ſe à primo inſtanti vitæ, uſq; ad ultimum.

D. Tho. 22. q. 152. a. 1.
D. Amb. lib. de Virg.
Damaſc. Orat. 1. de Nat. Virg.

II. Sequitur in citato loco D. Thomæ: *Secundò hoc fuit conveniens proprietati ipſius Filij, qui mittitur, qui quidem eſt Verbum DEI. Verbum autem abſque omni corruptione cordis concipitur: quin imò cordis corruptio perfecti Verbi conceptionem non patitur, quiá ergò caro ſic fuit à Verbo DEI aſſumpta, ut eſſet caro Verbi DEI, conveniens fuit, ut etiam ipſa ſine corruptione matris conciperetur.* Subtile, ſed efficaciſſimum pro Innocentia Virginis originali argumentum. Caietanus ad hunc locum: *ſi tamen novitius non intelligit corruptionem cordis, cuius meminit ſecunda ratio, ſciat cor pro mente ſeu intellectu ſumi: corruptio autem intellectus non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm operationem attenditur: omnis enim defectus in intelligendo corruptio quædam intellectus eſt; ſicut omnis deperditio alicuius rei corruptio quædam in natura eſt. Quia igitur defectus intellectûs in intelligendo efficit, ut intellectus defectuoſum quoq; Verbum formet, concipiendo illud, quod ſic defective intelligit (qui enim imperfectè intelligit leonis naturam, perfectum quoq; verbum de natura leonis exprimere intus nequit) ideò in litera dicitur quod cordis corruptio impedit perfectionem Verbi:* Rectè hanc reor fuiſſe etiam D. Thomæ Sententiam, & voluiſſe

D. Tho. cit.
Locus 38.
Caiet. 3. p. q. 28. a. 1.

Probatio 67. argumentari, in litera quidem pro Virginitate Matris DEI, tacitè verò, & inſinuativè pro Innocentia Originali. Nam hæc eſt vis prædictorum verborum. Verbum mentis ſeu intellectus perfectè non concipitur niſi mens & intellectus ſit abſq; omni corruptione: unde ſi alicuius intellectus in minimo corruptus eſt non benè diſcurrit de ulla re, quia non benè concipit Verbum mentis, quod poſtea dum loquitur fit Verbum oris: ſed Filius DEI eſt Verbum mentis ſeu intellectus divini, qui ſuæ perfectionis infinitate eſt abſque omni corruptione: ergò perfectiſſimè concipitur ab intellectu divino. Non ſiſtit hic gradum D. Thomas, ſed à paritate Conceptionis divinæ, argumentatur ad Conceptionem humanam ejuſdem Verbi; Vt Verbum perfectè concipiatur debet eſſe mens & intellectus, in quo concipitur abſq; omni corruptione; & ut concipiatur DEVS, debet eſſe intellectus divinus: ergò ut idem Verbum DEI concipiatur in carne, debet caro illa eſſe abſq; omni corruptione, ergò debet eſſe Caro Virginis incorruptæ. Amplius adhuc aliquid latet: In intellectu Verbum DEI non concipitur niſi in intellectu divino, ergò ſi fieri poſſet in carne Verbum DEI, non deberet concipi niſi in carne divina experte omnis corruptionis; ergò cùm hoc fieri non poſſit, ut detur caro divina, debet ſaltem concipi in carne humana ità experte omnis corruptionis, ut proximè accedat ad incorruptionem DEI: atqui talis incorruptio non eſt ſimpliciter Virginis, ut Virgo eſt, ſed Virginis talis quæ nec per defectum pudoris, nec per ullum alium defectum ſit corrupta: ergò, quæ nec originali labe nota: qualem aſſeruit S. Auguſtinus apud S. Doctorem in Catena PP. *Dominus tecum, magis quam mecum: ipſe enim eſt in tuo corde, in tuo ſit utero: adimplet mentem, adimplet ventrem.*

S. Tho. in Cat. in Luc. c. 1.

III. Inſiſtamus adhuc paululùm huic argumento, quod D. Thomas ſumpſiſſe videtur ex antiquis Patribus de Verbi conceptione æterna loquentibus. Sanè Theodotus in Homilia ad Patres Epheſini Concilij dicta, ſic ait: *Vide quomodo factum eſt inopinabile Sacramentum, tranſcendens naturæ rationem. Quid enim eſt Verbum DEI palàm eſt: & ideò Virginitatem non ſolvit. Quæ parit carnem puram Virginitatem amittit: ſed quoniam natus eſt carnaliter Verbum DEVS, cuſtodit Virginitatem ſe ipſum rationem oſtendens.* Et paulò infrà: *Neque noſtrum verbum cùm paritur corrumpit mentem, neq; DEVS Verbum ſubſtantiale partum eligens perimit Virginitatem.* Dixit ſeipſum rationem oſtendens, ubi

Theod. hom. de Nat. Dom.

Probatio 68.

in

in Græco eſt Lógos id eſt ſermo, vel ratio, vel etiam Verbum, quæ omnia eadem voce ſignificantur, ad innuendum, quòd quemadmodum verbum ex mente, ſic Verbum DEI ex ventre natum eſt. Ità nimirum ex ventre naſci voluit: ut ipſa editio naturam naſcentis teſtaretur; quomodo autem teſtaretur, niſi Virgo Mater ità pura eſſet, ut puritatem intellectus divini quodammodo æmularetur. 2. Perpendi etiam poſſunt illa verba: *Virginitatem nòn ſoluit; cuſtodit Virginitatem, ſeipſum rationem oſtendens.* id eſt oportebat, ut Verbum DEI Virginis Corpus ità occuparet, ut animam etiam illius poſſideret, ſeipſum rationem oſtendens: *Nam ſicut corpori* (inquit Salazar) *aptus locus eſt aliud corpus, ità etiam Rationi idoneus locus eſt, mens & animus.* 3. Prætereà ſeipſum Rationem oſtendit cuſtodiendo Virginitatem ante partum, mentis; in partu, corporis. Quod illis elegantibus verbis expreſſiſſe videtur Damaſcenus alloquens SS. Ioachim & Annam: *Caſtè ac ſanctè munere veſtro functi Virginitatis Theſaurum produxiſti. Virginem inquam ante partum, ſolam Virginem, & ſemper Virginem; ſolam & mente & animo Virginitatem perpetuo colentem. Par ſiquidem erat, ut Virginitas ex pudicitia orta, ei qui ſolus eſt unigenitum lumen, corporeo modo offerretur, benignâ videlicet voluntate, à quo incorporeo modo is genitus eſt, qui nō gignit, ſed ſemper gignitur, cuiq; gigni perſonalis proprietas eſt.* Non fruſtrà illa dicta ſunt: *Solam Virginem, & ſemper Virginem: ſolam & mente, & animo Virginitatem colentem.* Quid enim? an nulla præterea Virgo & mente & animo Virginitatem coluit? Putem ego hanc ſolam ità mente & animo Virginem, ut ne quidem originalis culpæ maculam admitteret, quam tamen aliæ Virgines contraxerunt. 4. Adhuc aliud ſuprà dictis Theodoti verbis myſterium ſubeſſe puto: *Cuſtodit Virginitatem ſeipſum rationem oſtendens* non qualemcunq; rationem, non qualecunque Verbum, ſed Verbum DEI: ſicut ergò Verbum DEI æternam habet generationem à Patre, ità voluit anticipare cuſtodiam Virginitatis in Matre, prius occupando ejus mentem, quàm corpus; & ideò *Adiuvit eam DEVS mane diluculò*, ſeu ut alij legunt *diluculò diluculi*, id eſt, in primo ejus eſſe, ut ſicut à Patre per intellectum generatur *Ab initio & ante ſecula*, ita hic per animam Matris conciperetur Ab initio creationis ejus. eſſetque illa Immaculata mente & corpore, ne in minimo quidem violata ab initio ſui eſſe. Hæc (ne longior ſim) putem omninò à D. Thoma inſinuata ex mente SS. Patrum prædictâ Ratione ſecunda.

Salaz. Cap. 27. n. 6.

Probatio 69.

Damaſc. Orat. 1. de Nativ. Virg.

IV. Tertia Ratio D. Thomæ eſt: *Tertiò hoc fuit conveniens*
D. Tho. 3. p. q. 28. a. 1. Locus 39. *dignitati humanitatis Chriſti, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur, ſecundùm illud Ioann. 1. Ecce agnus DEI, ſcilicet innocens, qui tollit peccatum mundi: non poterat autem eſſe quòd in natura iam corrupta ex concubitu, caro naſceretur ſine infectione originalis peccati.* Quâ ratione intelligendus ſit D. Thomas cùm dicit eum neceſſariò contrahere peccatum originale, qui per concubitum viri, & mulieris generatur, ſuprà ſatis dictum; ex quo etiam poterit colligi, quomo-
Probatio 70. do hìc dicat *non poterat autem eſſe &c.* Argumentum verò, quod ex hac tertia ratione elicitur, hoc eſt: Tantò purior eſt filius, quantò purior eſt mater, ſed Filius DEI quoad humanitatem, per quam tollere uenerat peccata mundi, debuit eſſe puriſſimus ab omni peccato, ergò & Mater eius, à qua ipſe accepit huma-
Probatio 71. nitatem debuit eſſe puriſſima ab omni nævo peccati. Obſervo autem hic ego aliud adhuc argumentum tacitè à S. Doctore inſinuatum, cùm dicit Matrem Filij DEI debuiſſe eſſe incorruptam in carne, ut ex ea humanitas Chriſti pura generaretur. Quæro, qua de cauſa non potuerit eſſe, & generari pura humanitas ex carne, per maritalem legitimum concubitum corrupta? ideò dices, quia violatio ſignaculi pudoris in carne, eſt quædam turpitudo, & macula carnis, licet fiat per legitimum concubitum, imò ſi fiat extrà concubitum per fluxum naturalem ſemi-
D. Tho. 2. 2. q. 152. a. 1. ad 4. nis &c. uti fatetur D. Thomas ſup. cit. non amiſsâ Virginitate. Rectè: ſed quæro iterum, quæ eſt major turpitudo, & macula, carnis? vel animæ? Dices haud dubiè majorem turpitudinem, & DEO odibiliorem eſſe quæ reperitur in anima: fateberis etiam majorem eſſe turpitudinem animæ, quæ contrahit peccatum originale; quàm ejus, quæ in legitimo matrimonio conſenſit in carnalem copulam, & violationem ſignaculi pudoris; ex quo ſic arguo. Non erat conveniens (ſecundùm principia S. Thomæ) ut Chriſtus generaretur ex muliere, cujus claſtra pudoris in legitimo matrimonio ſolverentur, propter aliqualem carnis fœditatem; ergò multò minus erat conveniens, ut Chriſtus naſceretur ex Matre, quæ fœdiſſimam originalis peccati maculam aliquando incurriſſet. Certè negari non poteſt, quod minùs ſit perdere Virginitatem in licito conjugio, quàm contrahere actu originale peccatum, cùm hoc faciat hominem odibilem DEO, illud ſæpè gratum, & amicum.

V. Quar-

Digitized by Google

V. Quarta D. Thomæ ratio eſt hæc : *Propter ipſum finem incarnationis Chriſti, quæ adhoc fuit, ut homines renaſcerentur in Filios DEI, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex DEO; id eſt DEI virtute : cuius rei exemplar apparere debuit in ipſa Conceptione Chriſti. Vnde Auguſtinus dicit in libro de Sancta Virginitate : Oportebat caput noſtrum inſigni miraculo ſecundum corpus naſci de Virgine, ut ſignificaret membra ſua de Virgine Eccleſia, ſecundùm ſpiritum naſcitura.* Aſſumo, prætermiſſis cæteris, hæc ultima verba, & arguo ad mentem D. Thomæ: Talis debebat eſſe Mater Chriſti ſecundum carnem, qualem ſibi Chriſtus deſignabat Eccleſiam ſecundùm ſpiritum, ſed Eccleſiam ſibi deſignabat prorſus, & omni modo Immaculatam, ergò talis debebat eſſe etiam ejus Mater ſecundùm carnem. De Eccleſia dicit Apoſtolus emphaticè: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret &c. ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed ut ſit ſancta, & Immaculata.* Talis ergò debuit eſſe & Mater Chriſti ſecundùm humanitatem. Video hic cujuſdam effugium, qui admittit DEIparam eſſe ſine macula ſine ruga, Sanctam, & Inmaculatam: ſed poſtquam à peccato originali mundata eſt. Miror, quòd non advertat ex originali; imò, & quolibet mortali peccato reſultare duplicem maculam, altera eſt ipſa culpa, quæ per baptiſmum & gratiam infuſam tollitur; altera, quæ etiam in mundatis remanet; nempe quòd is, qui à peccato mundatus eſt aliquando fuerit peccator, ſicut rebellans ſuo Regi licet in gratiam recipiatur, ſervat tamen hanc notam indelebilem quòd fuerit aliquando rebellis. Si ergò DEIpara eſt ſine omni macula, ſine omni nævo, utiq; etiam ſine iſta macula, ſine iſto nævo. Et quidem juxtà D. Thomam, qui utramque hanc maculam agnoſcit, inquiens : *In peccato enim duplex eſt deformitas. Vna ſcilicet ex privatione gratiæ, qua privatur peccator &c. Alia macula eſt ex actu peccati præterito, & hæc non deletur, quià non datur ei, quòd non fecerit &c.*

D. Tho. 3. p. q. 28. a. 1. — *Locus 40.* — *S. Aug. de Virg. c. 6.* — *Probatio 72.* — *Ad Epheſ. 5. v. 26.* — *Caiet.* — *Probatio 73.* — *D. Tho. in Pſal. 31.*

§. XX.

§. XX.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe originali Conceptam. Ex eodem Tomo XII. Operum.

Locus 41. 42. 43. & 44.

D. Thom. 3. p. q. 28. a. 2. Locus 51.

I. QVadrageſimus primus locus eſt priori non abſimilis art. mox ſubſequenti, ubi S. Doctor quærit, *Vtrùm Mater DEI fuerit Virgo in partu.* & reſpondet affirmativè adhibendo tres rationes, quarum prima correſpondet ſecundæ præcedenti articulo allatæ, ſed alijs verbis: *Primò quidem, quià hoc competebat proprietati eius, qui naſcebatur, qui eſt Verbum DEI. Nam Verbum non ſolùm in corde abſq; corruptione concipitur, ſed etiam abſq; corruptione ex corde procedit. Vnde ut oſtenderetur quod illud eſſet corpus ipſius Verbi DEI, conveniens fuit, ut de incorrupto Virginis utero naſceretur. Vnde in ſermone quodam Epheſini Concilij legitur: Quæ parit carnem puram, à Virginitate ceſſat: ſed quià natum eſt carne Verbum, DEVS cuſtodit Virginitatem, ſeipſum oſtendens per hoc Verbum. Neq; enim noſtrum verbum cum paritur corrumpit mentem: neq; DEVS Verbum ſubſtantiale partum eligens, peremit Virginitatem.* Sic in Antuerpiana Editione, at in Romana corrupta ſunt poſtrema verba, quià ſubſtitutum eſt: *neq; DEVS Verbum ſubſtantiale partum eligens, peremit Virginitatem.* Citationem hanc D. Thomæ paulò aliter dedi ſuperiore §. ſecundùm diverſam ſcilicet verſionem Conciliorum Græcorum: ſenſus tamen utrobiq; eſt idem. Vnde & eadem hic recurrunt argumenta. Solùm addo, fortè non ineptè hic poſſet dici una congruentia. Congruum fuit, ut dum non ſolum naſcebatur, ſed & dum concipiebatur DEI Filius à Matre Virgine, Mater Immaculata eſſet & incorrupta, ergo etiam congruum erat ut dum ipſa Mater non ſolum naſcebatur, ſed & concipiebatur Immaculata eſſet & incorrupta. Conſequentia videtur ſuaderi poſſe ex eo, quia eadem argumenta quæ militant pro Conceptione activa & partu Filij DEI, eadem etiam

Probatio 74.

Digitized by Google

etiam militant pro Conceptione paſſiva & Nativitate ipſiuſmet Matris DEI. Quia verò de hac prima ratione ſatis dictum ſuperiore §. n. 2. & 3. hic progrediamur ad ſecundam.

II. Altera D. Thomæ ratio hæc eſt: *ſecundò hoc eſt conveniens quantum ad effectum Incarnationis Chriſti. Nam adhoc venit, ut noſtram corruptionem tolleret: unde non fuit conveniens ut Virginitatem Matris naſcendo corrumperet. Unde Auguſtin. dicit in quodam ſermone de Nativit. Domini: Fas non erat, ut per eius adventum violaretur integritas, qui venerat ſanare corrupta.* quaſi argumentaretur; Ideò Chriſtus DEI Filius Incarnatus eſt, ut tolleret corruptionem humanæ naturæ per peccatum primi parentis corruptæ, ergò non erat conveniens, ut de corrupta matre naſceretur: hunc puto ſenſum ineſſe illis D. Thomæ verbis: *ut Virginitatem Matris naſcendo corrumperet.* quam Virginitatem? animæ originalem; quià hæc opponitur corruptioni humanæ naturæ per peccatum corruptæ, non ſimpliciter Virginitas corporis: unde majorem vim haberet hoc argumentum clariùs expreſſum hoc modo: Ideò Filius DEI Incarnatus eſt, ut tolleret originalem corruptionem humanæ naturæ, ergò non erat conveniens, ut naſceretur de Matre corrupta originali corruptione. Sed idem ſonant verba D. Thomæ, qui ſicut pluries ità hic unum exprimit clarè, alterum tacitè inſinuat; de Virginitate carnis loquitur, & ſimul intelligit Virginitatem animæ originalem. Nam aliàs non foret argumentum ab oppoſitis, prout intendit S. Doctor; quià integritas carnis, & corruptio originalis juſtitiæ ſibi non opponuntur; ſicut integritas originalis juſtitiæ, & corruptio ejuſdem. Quo loco præterire non poſſum elegantem Richardi à S. Laurentio ſententiam: *MARIÆ Virginitas fuit multipliciter privilegiata, quià plaſmationem primi hominis quaſi exemplariter imitata; videlicet ut ſicut primus Adam de terra Virgine, formatus fuerat, ſic ſecundus Adam de Matre Virgine ſecundum hominem formaretur.* Comparatio vim habet ex dictis, quià reſpicit Virginitatem omnimodam tàm corporis, quàm animi, ſive potius innocentiam originalem, quam accepit Adam cùm formaretur de terra.

D. Tho. ib. Locus 42.

D. Aug. ſer. 6. To. 10.

Probatio 75.

Rich. à S. Laur. lib. 4. de Mar. Virg.

III. Ulterius ait S. Doctor: *Tertio fuit conveniens, ne Matris honorem naſcendo diminueret, qui parentes præceperat honorandos.* Hoc argumentum proſecuti ſumus ſupra §. 17. n. 3. & 4. nihilominùs, quià hic denuò recurrit, & idem ſæpius repetitum ab aliquo authore, ſententiam ejus magis roborat; hic addendum:

D. Tho. ib. Locus 43.

Digitized by Google

Probatio 76. Minus eſt per legitimum partum (& ſanctum quidem) reſerari clauſtra pudoris Virginei, quàm infectam eſſe peccato originali: ergò ſi Matris Virginis honor diminueretur per reſerationem clauſtri, multò magis per infectionem peccati originalis, ergò ſi voluit DEI Filius ex Matre naſci non lædendo carnem Virgineam propter honorem Matris, multò magis voluit propter eundem honorem illam liberam eſſe ab infectione originalis peccati: cùm hoc peccatum ſit, & quidem mortale; illud nec *Ecclеſ. 3.* veniale fuiſſet. Rectè ad propoſitum Eccleſiaſticus: *Gloria enim hominis ex honore Patris ſui, & dedecus Filij Pater ſine honore.* Honoratior profectò Mater, quæ nec habet, nec unquam habuit ullam maculam; quàm illa, quæ non quidem habet, ſed aliquando habuit. Et ſi filius tàm potens ſit, ut valeat matrem honorare præſervando ab omni poſſibili macula, ſicut potens eſt DEI Filius, quis credat illum hoc genus honoris matri negaturum? Credo ego ideò conceptum, & natum ex Virgine, ut teſtaretur mundo matrem ſuam Conceptam & natam Virginem *S. Proclus ſer. de Nativ. in Conc. Epheſ.* innocentia originali, *quam enim citrà ullam ſui labem formaverat, ex hac quoq; nullâ contractâ proceſſit.*

Locus 44. D. Thom. 3. p. q. 28. a. 3. IV. Addamus & illud quod articulo 3. ſequitur in D. Thoma. Quærit S. Doctor: Vtrùm Mater DEI permanſerit Virgo poſt partum & contradicit negativæ: *Contrà eſt, quòd dicitur Ezech. 44. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus DEVS Iſraël ingreſſus eſt per eam: quod exponens Auguſtinus in quodam ſermone dicit. Quid eſt porta in domo Domini clauſa, niſi quòd MARIA ſemper erit intacta? Et quid eſt homo non tranſibit per eam, niſi quòd Ioſeph non cognoſcet eam? Et quid eſt Dominus ſolus intrat, & egreditur per eam, niſi quòd Spiritus Sanctus impragnabit eam, & Angelorum Dominus naſcetur per eam? Et quid eſt clauſa erit in æternum, niſi quòd MARIA Virgo eſt ante partum, & Virgo in partu, & Virgo poſt partum?*

Probatio 77. Hic plura conſiderari poſſent, ſed quia potiſſimum argumentum eſt à Virginitate Matris DEI, ex qua ſolide etiam originalis Innocentia eius adſtruitur, & iam ante multa de hoc dicta; non immorabor. Illud tamen noto, quòd locus hic applicetur Immaculatæ Conceptioni à Cardinale Quignonio, à Leonardo Nogarolio, & Bernardino de Buſtis: imò in Officio Minorum, quod in hanc diem in Sabatho per annum Minores orare conſueverunt idem legitur: unde licet mihi poſtrema verba ex Auguſtino deprompta ſic immutare: MARIA Virgo eſt mente,

&

Digitized by Google

& Virginitate originalis innocentiæ ante partum, in partu,poſt partum.

§. XXI.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam, Ex Tomo XII. Operum.

Locus 45.

I. QVadrageſimus quintus locus eſt in eadem 3. p. Summæ q. 30. a. 1. ubi aſſerit S. Doctor *quòd congruum fuit B. Virgini annuntiari,quòd eſſet Chriſtum conceptura.* id probat quatuor rationibus, quarum quarta eſt: *Vt oſtenderetur eſſe quoddam ſpirituale matrimonium inter Filium DEI, & humanam naturam, & ideò per annuntiationem exſpectabatur conſenſus Virginis loco totius humanæ naturæ.* Hic duo argumenta inſinuantur pro pia Sententia. Primum eſt, quod inter Filium DEI, & humanam naturam, quam ex Virgine Filius DEI aſſumpſit, ſit quoddam ſpirituale matrimonium: Vnde argumentor I. Quo Sponſus nobilior eſt, hoc ſibi Sponſam eligit nobiliorem; ſed Filius DEI talis eſt Sponſus, quo nobilior eſſe non poteſt; ergò elegit ſibi Sponſam, quâ nobilior (infrà ipſum tamen) eſſe non poſſet. Atqui inter duas, quarum una aliquando fuit infamis, altera nunquam infamis, nobilior eſt illa, quæ nunquam fuit infamis, ergò Filius DEI eligendo ſibi Sponſam elegit ab omni infamia liberam, nullâ notatam macula etiam originalis peccati. Eſt enim contractio originalis peccati quædam infamia ex primi parentis DEO rebellantis proſcriptione nata. Et licet D. Thomas loquatur de matrimonio ſpirituali inter Filium DEI,& humanam naturam aſſumptam, non ipſam Beatam Virginem, quià tamen humanitas aſſumpta, eſt aſſumpta ex Virgine, & Caro Chriſti eſt Caro MARIÆ, ut alibi expendo ex Patribus, argumentum habet ſuam vim & concludit, quòd Filius DEI ſibi elegerit tàm puram Sponſam, quæ non ſolùm tunc immunis eſſet ab omni macula, quando hoc ſpirituale matrimonium celebravit, ſed etiam ab omni præterita infamia & macula à primo inſtanti Conceptionis, *ut exhiberet ipſe ſibi Sponſam non ha-*

D. Tho. 3. p. q. 30. a. 1. Locus 45.

Probatio 78.

Epheſ. 5. v. 27.

 bentem

bentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed ut eſſet Sancta & Immaculata. 2. Huic veritati roborandæ opportunè ſe offert parabola illa Evangelica *Exierunt obviam Sponſo & Sponſæ:* Sponſum Chriſtum, Sponſam Virginem Matrem paſſim Patres, & Interpretes deſignant: per decem verò Virgines univerſum genus humanum intelligunt; omnes Adæ poſteros, qui exierunt obviam Sponſo & Sponſæ. Cur quæſo non aſſeritur ire obviam Chriſto etiam ipſa Sponſa, ipſa Virgo? puto, quia extrà numerum denarium (quo omnis multitudo deſignatur) extrà ſortem, & cenſum eſt Adæ poſterorum: conjuncta Sponſo, indiviſa Sponſo. De Virginibus, quæ exierunt obviam, verum eſt dicere: *Omnes in Adam peccaverunt*, ſed non de Virgine MARIA, quæ eſt extranumeraria, quæ inter illas Virgines non comprehenditur, gaudens Privilegio Sponſi: Vnde 3. Obſervo quòd leges decernant, ut ſponſa in mariti familiam tranſeat. Item uxor in cauſis omnibus ſequitur leges, & forum mariti; ut communiter Iuriſperiti. Imò Sponſa eiuſdem originis cenſetur cum marito, ut docet Gloſſa nova de municip. vide Tiraquell. ad leg. 1. connubialem. Nec ſolùm hæc hodie rata habentur jure humano, ſed olim etiam apud Hebræos, inter quos uxor in viri familiam migrabat. Eò reſpexit Pſaltes: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui,* quia ſcilicet in novam familiam coaptata. Obſervavit hunc morem Hebræorum ipſe D. Thomas, unde ideò aſſerit in Genealogia Chriſti recenſeri majores Ioſeph non MARIÆ, quià ſponſa & maritus de eadem cognatione erant, & cenſebantur. Iam ergò, quis hinc non concludat DEIparæ immunitatem ab originali? Tranſivit in familiam ſponſi, ſequitur leges & Privilegia ſponſi, ejuſdem originis cenſeri debet cum ſponſo, ergò ſicut ſponſus immunis eſt ab originali macula, ità ſponſa; ille per naturam, ipſa per gratiam.

Probatio 79.

l. quicunque C. de re militari. Bald. in Cap. Conſtitutis ext. de teſtibus. Gloſſ. leg. Originali. C. de municip. & orig. l. 20. Tiraquell. p. 1. à n. 25. Pſ. 44. D. Tho. in cap. 1. Matth.

II. Alterum argumentum ex poſtremis D. Thomæ verbis deſumo. *per annuntiationem exſpectabatur conſenſus Virginis loco totius humanæ naturæ.* Ergò B. Virgo repræſentavit totam humanam naturam, in ejus cum DEO reconciliatione? Bellè, benè factum: Angelus eſt miſſus à DEO ad naturam humanam; cujus quaſi Vicelgerens cenſetur Virgo; miſſus eſt ad Virginem, hæc pro toto humano genere reſpondebit. *Reſponde iam Virgo ſacra* (inquit S. Aug.) *aſſenſum tuum Angelus præſtolatur, DEVS in porta eſt, Angelum quem moraris exſpectat.* Et alibi idem

Probatio 80.

Aug. ſer. 17. de Nat

S. Pa-

S. Pater: *O Beata MARIA ſeculum omne captivum, tuum deprecatur aſſenſum; te DEO mundus ſuæ fidei obſidem facit, per te parentum ſuorum iniurias abſtergi deprecatur.* Per te inquit: cur non deprecantur univerſi? Plus efficere ſolent multorum preces, quàm unius. Per te inquit, quæ es *loco totius humanæ naturæ.* Subeſt myſterium: totius naturæ authoritas, & fides in una Virgine ſubſiſtebat, ut ſola pro univerſis paciſci poſſet; quia in Sola Virgine humana natura integra inveniebatur, & incorrupta, in omnibus alijs vitiata per originis culpam. 2. *Exſpectabatur conſenſus Virginis,* qualis conſenſus? *Fiat.* idem verbum, quo olim DEVS mundum fabricaverat, quaſi ipſa eſſet mundi reparatrix. meritò igitur tàm innocens, quàm Eva. *Exſpectabaur conſenſus Virginis:* cur? ut parentum injuriæ abſtergerentur; quaſi ipſa ſola idonea ſit ad abſtergendas parentum injurias ceu maculas, quæ ſola aliena à parentum injurijs & maculis. 3. Exſpectabatur conſenſus Virginis loco totius humanæ naturæ, quià ipſa mater naturæ per Filium DEI reparatæ, ſicut Eva mater naturæ primo conditæ; & quià Eva mater naturæ conditæ ſine aliqua originis labe creata eſt, etiam MARIAM ſine labe Originis conceptam eſſe decens erat. Hæc omnia ex D. Thomæ principijs; & ut puto, ſat apertis inſinuationibus.

Idem in Gen. c. 28.

Probatio 81.

Probatio 82.

§. XXII.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam, Ex eodem Tomo XII. Operum.

Locus 46. 47. 48.

1\. QVadrageſimus ſextus locus eſt in eadem 3. parte, eadem quæſt. 30. art. 2. ubi docet S. Doctor *quòd conveniens fuit Matri DEI annuntiari per Angelum divinæ Incarnationis myſterium,* propter tria, quorum tertium eſt: *quià hoc congruebat Virginitati Matris DEI. Vnde Hieron. dicit in ſermone Aſſumptionis: Benè Angelus ad Virginem mittitur, quià ſemper eſt Angelis cognata Virginitas. Profectò in carne præter carnem*

D. Tho. 3. p. q. 30. a. 2. Locus 46.

vivere non terrena vita eſt, ſed cœleſtis. Notemus cauſalem, & habebimus concluſionem pro Immaculata Conceptione; Ideò
Probatio 83. congruebat, ut Angelus mitteretur ad Virginem, quià Virginitas eſt cognata Angelis. quæ Virginitas? illa puto, quæ ſimilior operationibus Angelicis: Virginitas animæ potiùs, quàm carnis: atqui Virginitas animæ eſt immunitas ab omni peccato, etiam originali; ergò ideò congruebat, ut Angelus mitteretur ad Virginem, quià eius animæ Virginitas erat cognata Angelis. Et licet S. Doctor comparationem faceret inter Angelos, & Virginitatem carnis, ex iiſdem tamen principijs ab ipſo poſitis ſequitur altera comparatio; imò magis aſſimilatur Virginitas animæ ſeu immunitas ab omni peccato cum Angelis, quàm integritas carnis; cùm Angeli ſint ſpiritus alieni à carne.

Locus 47. II. Sequitur ibidem alius locus. *Ad primum ergò dicendum, quòd Mater DEI ſuperior erat Angelis, quantum ad dignitatem, ad quam divinitus eligebatur: ſed quantum ad ſtatum præſentis vitæ, inferior erat Angelis: quià & ipſe Chriſtus ratione paſſibilis vitæ*
Probatio 84. *modico ab Angelis minoratus eſt.* Hic non repeto quod alias jam oſtendi, & adhuc infrà oſtendam: ex eo quià DEIpara ſupra Angelos exaltata eſt, & Angelorum Regina dicitur, oportuiſſe illam omni omninò originali maculâ carere, & immunem eſſe; cùm Angeli tali maculâ careant. Non repeto etiam argumentum à Maternitate Virginis deſumptum, quod hic quoque inſinuatur; &, ut alibi dixi, efficaciter ſuadet Innocentiam originalem Virginis. Hoc ſolùm noto, quòd S. Doctor comparationem faciat DEIparæ cum Chriſto, quando dicit *quantum ad ſtatum præſentis vitæ inferior erat Angelis, quià & ipſe Chriſtus &c.* ergò non multò minùs B. Virgo minorata ab Angelis, quoad ſtatum præſentis vitæ, quàm Chriſtus, ſed Chriſtus ità minoratus eſt, ut tamen eſſet purus, innocens, & abſq; macula originali, ergò & B. Virgo, diverſo tamen modo, quàm Chriſtus.

D. Thom. 3. p. q. 30. a. 2. ad 2. Locus 48. III. Ibidem ad 2. dicit S. Doctor: *Dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in ſermone de Aſſumptione, Beata Virgo MARIA verâ æſtimatione à quibuſdam generalibus excipitur, quià nec conceptus multiplicavit, nec ſub viri, id eſt mariti poteſtate fuit, quæ integerrimis viſceribus de Spiritu Sancto Chriſtum ſuſcepit &c.* Objecerat ſibi anteà, quod convenientius ſervato communi ordine, ſecundùm quem divina ad mulierem per virum deferuntur, vir quàm Angelus annuntiaſſet Incarnationem Filij DEI: unde reſpondit ex Auguſtino, quòd B. Virgo à quibuſdam generalibus excipiatur.

tur.

tur. Exceptiones à generalibus alibi pertracto, hic ſolùm attingam duas quæ à D.Thoma adducuntur. Eſt autem energia Reſponſionis in hoc, quòd non debuerit ſervari cum B. Virgine communis ordo, & leges generales, ſed longè excellentior ordo, & Privilegia; qui i à quibuſdam generalibus excipitur. Quæ ſunt porrò illa generalia ſanctè Thomæ? *Conceptus multiplicare?* hoc tam generale non eſt, quin multæ excipiantur maritatæ, aliud ergo debet eſſe generale, à quo per ſpeciale Privilegium excipiatur DEIpara, & ſola quidem, ſicut ſola doceri debuit per Angelum de divinis myſterijs. *Sub vni poteſtate eſſe?* hoc generale non eſt; nulla Virgo ſub viri eſt poteſtate; non igitur eſt ſpeciale Privilegium DEIparæ, non eſſe ſub poteſtate Ioſephi. At inquies Virgo nupta, eſt ſub poteſtate viri; DEIpara fuit Virgo nupta, & exempta ab hac ſubjectione; hinc ſpeciale Privilegium. Fateor Kunegundes, Delphinas Virgines fuiſſe nuptas, & ſub poteſtate viri; ſi ergò DEIpara immunis à poteſtate viri, ſpeciali gaudet Privilegio; excipitur, ſed non *à quibuſdam generalibus:* unum tantum hoc eſt generale. Plura exſpecto D. Thoma. Puto ego S. Doctorem tacitè inſinuare, quod alibi ſæpius facit, Beatam Virginem ab eo, quod eſt maximè generale, exceptam & Privilegiatam. Maximè generale toti humano generi eſt concipi cum peccato originali: Beata Virgo à quibuſdam generalibus excipitur, & excellentius cum illa agitur, quàm cum cœteris hominibus, ergò etiam ab illo generaliſſimo excipitur, & excellentius in utero matris concipitur, quàm cœteri homines, cœteri cum peccato, ipſa ſine peccato. Probatio 85.

IV. Age verò melius expendamus illa generalia *Nec conceptus multiplicavit.* Ad fœminam dictum eſt poſt primam prævaricationem: *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios tuos.* quæ alibi expendens S. Thomas ſtatuit quatuor pœnas originalis peccati, quas mulieres ſuſtinere debent. *Prima eſt multitudo inopiæ, & miſeriæ, unde dicit Multiplicabo ærumnas tuas. Secunda eſt pœnalitas gravidationum, & impregnationum &c. Vnde Hieronymus dicit, quòd ubi nos habemus ærumnas tuas, & conceptus tuos, ſeptuaginta habent triſtitias tuas, & gemitus tuos. Tertia pœna eſt dolor parturientium, quæ maxima eſt. &c. In dolore paries filios tuos. Quarta pœna eſt ſervilis ſubiectio eius ad virum, unde dicitur: ſub viri poteſtate eris.* Ab his pœnis omnibus libera fuit B. Virgo, tanquam ab effectibus origi- Probatio 86.

Gen. 3. D. Tho. in Gen.

nalis

S. Bern. ſer. ſignū magnum. nalis peccati, unde S. Bernardus ait: *In his quoq; ſidereum planè irradiat decus, quòd Virginitatis primiceria, quòd ſine corruptione fœcunda, quòd ſine gravamine gravida, quòd ſine dolore puerpera.* ergò fuit etiam libera à cauſa iſtarum pœnarum. conſeq. prob. *l. Gracchus C. ad leg. Iul. de Adul. & c. Cognoſcentes de Conſtruction.* quià Innocens puniri non debet ut docent leges. Cùm ergo B. Virgo non ſit punita his pœnalitatibus, colligitur à poſteriori ejus Innocentia, & immunitas ab originali peccato, quod eſt cauſa illarum pœnalitatum. Enimverò ut ait S. Cyprianus: *non ſuſtinebat iuſtitia ut illud vas electionis communibus laſſaretur iniurijs, quod plurimum à cæteris differens, naturâ communicabat non culpâ:* quaſi diceret: In MARIÆ partum nihil de peccati lege manavit, ergò communis illa peccati contrahendi lex illam minimè comprehendit. *S. Cypria. ſer. de Nativ.*

Probatio 87. V. cùm dicat S. Doctor *à quibuſdam generalibus excipitur,* licet tria tantum ibi enumeret plura ſupponit, quæ inter eſt illud, quòd non ſit incinerata. Vnde pari ratione à poſteriori arguere licet: non eſt incinerata, ergò non eſt originali peccato infecta. conſequentia tenet, quam videtur advertiſſe B. Albertus Magnus, qui ſtatuit pœnam peccati ſeu converſionis ad bonum commutabile, ſive ad nihilum, incinerationem ſive redactionem ad nihilum. *Ex converſione autem ad nihilum incidit in neceſſitatem redeundi in quaſi nihilum, id eſt in pulverem.* Hinc ſubſumit de DEIpara: *Sed Beatiſſima Virgo nunquam converſa fuit actualiter ad quaſi nihilum, ergò non debuit incinerari.* Hoc idem eſt acſi dixiſſet B. Virgo nullo unquam peccato etiam originali, (cujus proprie pœna eſt incineratio) converſa fuit ad nihilum, ergò non debuit incinerari. His ſimilia ſcripſit ad Commilitones ſuos Ambroſ. Catherinus. cujus illa ſanè elegantia præterire non poſſum, quibus DEIparam loquentem ad ſuos Commilitones inducit: *Sancita eſt lex in omnia corpora mortalium, in qua dicitur Pulvis es, & in pulverem reverteris. Si contrà legem ab ore Altiſſimi prolatam Auguſtinus meum corpus præſervat, nec audet id dare eſcam vermibus; cur vos animam meam, quæ tanto eſt nobilior, datis eſcam Diabolo? ſi zelatis legis obſervantiam, nonne Auguſtinus Zelotypus erat legis non violandæ? & tamen in mei corporis honorem id loquitur, quod vos puſillanimitate cordis (ne aliud dicam) de animæ meæ ſalute, non modo non dicitis, ſed bene dicentibus obſtrepitis.* Sic Catherinus, qui alib etiam dixerat in eundem ſenſum: *Ab ipſomet Auguſtino inſtructi reſpondemus, quòd à plerisq; à quibus ſolus Chriſtus excipitur, etiam ipſa B.*

B. Alb. M. Marial. c. 172.

Caiet. in cap. 5. Epiſt. ad Rom. c. 21.

Virgo

Virgo in ipſo Chriſto excepto, excepta intelligitur, v.g. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem Hæc poſtrema utrumq; admittunt ſenſum, & quòd non fuerit Virgo corrupta in corpore ſeu incinerata; & quòd fuerit incorrupta in mente & anima, ſeu immunis ab omni macula, etiam peccati originalis

§. XXIII.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe originali Conceptam. Ex eodem Tomo XII. Operum.

Locus 49. & 50.

I. QVadrageſimus nonus locus eſt in eadem Summa Parte 3. q. 32. a. 4. *Ad primum ergò dicendum, quòd illa Conceptio tria Privilegia habuit, ſcilicet quòd eſſet ſine peccato originali, quòd eſſet non puri hominis, ſed DEI & hominis; item quòd eſſet Conceptio Virginis: & hæc tria habuit à Spiritu Sancto. Et ideò dicit Damaſcen. quantum ad primum, quòd Spiritus Sanctus ſupervenit Virgini, purgans ipſam, id eſt præſervans ne cum peccato originali conciperet.* Hic, ſi unquam alibi, clarè ſatis S. Doctor aſſeruit puram, & omnimodè Immaculatam DEIparæ Conceptionem ab inſtanti infuſionis animæ, quod priuſquam oſtendam: Noto, quòd Conceptio hoc loco duplicem ſenſum habere poſſit; activum & paſſivum. unde quæri poteſt cuinam Conceptioni tria illa Privilegia conveniant, ſeu utrum illa Privilegia ſpectent ad Concipientem Virginem, vel potius ad Conceptum Chriſtum, cùm de Conceptione Virginis activa, & paſſiva Chriſti ſit ſermo in articulo. & dico: Tria Privilegia, quorum hic mentio fit, ſunt Privilegia Concipientis Virginis, & non Concepti Chriſti, adeoq; Conceptioni activæ D. Thomas attribuit dicta Privilegia. Ratio eſt quia 1. eſſe ſine peccato originali non eſt Privilegium Chriſto, ſed natura. Cùm enim culpa originalis licet traducatur per naturam, afficiat tamen perſonam, & Chriſtus, quà homo non ſubſiſtat alia perſonalitate quam verbi, propter unionem hypoſtaticam hoc habet, quòd nullum peccatum contrahere poſſit, adeoq; per naturam

D. Tho. 3. p. q. 32. a. 4. ad 1. Locus 49.

Probatio 88.

eſt immunis ab illo, & non per Privilegium. 2. Non video, quomodo poſſit dici Chriſti Privilegium, quod eſt concipi DEVM & hominem; cùm Chriſtus dicat duas naturas humanam, & divinam hypoſtaticè unitas, & conſequenter aliter concipi non poſſit: quam DEVS & homo: Privilegium autem ſupponit aliquid aliud, præter id, quod alicui de jure competit. 3. Non video etiam quomodo Chriſto, quà Chriſtus eſt, Privilegium ſit concipi à Virgine, licet ſit Privilegiũ quà homo eſt, quià debetur DEO homini Mater nobiliſſima, & puriſſima; quæ licet Virgo ſit, non tamen adæquat talis filij dignitatem, ergò Chriſtum habere Matrem Virginem, non eſt habere talem Matrem per Privilegium. Reſtat igitur, quòd illa tria Privilegia ex mente S. Thomæ ad Virginem Concipientem pertineant. Hoc poſito, illa S. Thomæ verba hunc ſenſum habere concludo: In Conceptione Filij DEI MARIA tria habuit Privilegia 1. fuit Innocens ab omni, etiam originali, peccato. 2. fuit Mater DEI hominis. 3. fuit mater Virgo: & hinc clarè probo adſtrui à Divo Thoma Immaculatam Conceptionem. Primò. ſicut aſſerit S. Thomas DEIparam fuiſſe Virginem in Conceptione activa, ita aſſerit fuiſſe Innocentem in eadem Conceptione activa, ſed DEIpara fuit Virgo, ut nec ante, nec poſt in minimo læſerit Virginitatem; ergò ita fuit Innocens, ut nec ante, nec poſt in minimo læſerit innocentiam; quià æqualiter de utraq; virtute loquitur S. Doctor; imò utraq; æqualiter decebat Filium DEI, qui concipiebatur.

Probatio 89. II. Secundò D. Thomas exprimit primum Privilegium illis verbis, *quod eſſet ſine peccato originali.* hæc ſimpliciter, & ſine reſtrictiome prolata, vel ſonant cõtraxiſſe peccatum originale, & ab illo mundatam eſſe; vel ſonant nunquam contraxiſſe? ſi ſecundum, habeo intentum: ſi primum, nego id eſſe Privilegium reſpectu temporis quo DEIpara concipiebat Chriſtum, pro quo tempore privilegium illi tribuitur, quià nos omnes contrahimus originale, & poſteà ab illo mundamur: & tamen non dicimur per hoc privilegiati. Si dicas intelligi Privilegium, quià ſtatim poſt animationem in utero matris fuit emundata ab originali: Contrà eſt, quià S. Thomas hic ſimpliciter aſſerit: *quòd eſſet ſine peccato originali.* Eſſe autem ſine peccato originali ſonat abſolutam immunitatem ſine ulla limitatione. Nec videtur illud dici poſſe privilegium; contrahere peccatum ac maculari ab illo; & deinde mundari. Nam ſi Privilegium (quod

apud

Digitized by Google

apud antiquos dicebatur lex privatis facta) hodie vocatur privatio legis, exemptio à lege, immunitas à lege; adhoc ut dicatur B. Virgo privilegiata, & exempta à lege infectionis peccati originalis, debuit ſemper immunis fuiſſe ab illo, nec unquam infecta ab originali. Lex eſt: omnes homines ab Adam ſeminaliter generati maculentur peccato originali, & quidem eoipſo inſtanti, quo incipiunt vivere, & eſſe homines: exemptio igitur ab hac lege, & privilegium non poteſt eſſe aliud, quàm, ut is, qui privilegiatur careat infectione peccati originalis quando incipit vivere, & eſſe homo. Si ergò B. Virgo (ut aſſerit S. Thomas) habuit privilegium *quòd eſſet ſine peccato originali*, neceſſariò ſequitur, quòd debuerit carere, & caruerit in ipſo vitæ principio, ſeu inſtanti animationis. Quodſi iterùm dicas, legem eſſe, ut qui naſcuntur ab Adam contrahant originale, nec mundentur ab illo niſi nati ex utero: proinde cum B. Virgo adhuc in utero matris mundata ſit, licet illud ante contraxerit, habuit privilegium, quòd ſit nata ſine originali. Sed contrà eſt, quia hac ratione B. Virgo non eximeretur à lege, quæ reſpicit infectionem originalis culpæ ſimpliciter, non pro hac vel illa differentia temporis. Et quale hoc eſſet Privilegium alicui, qui eximeretur à ſolutione telonij, & nihilominùs tantundem deberet deponere, quantum alij, qui non ſunt exempti, cùm hoc ſolùm diſcrimine quod ipſe citius ſolveret, quàm cœteri? Sed ulteriùs.

III. Tertiò probo prædictam veritatem. S. Thomas ibid. citando S. Damaſcenum ait: *quantum ad primum quòd Spiritus S. ſupervenit Virgini, purgans ipſam, id eſt præſervans, ne cum peccato originali conciperet.* Hic primò præſervari non dicitur ab originali, qui contrahit originale, & deinde ab ipſo mundatur, ſed qui nunquam id contrahit: ſi ergò B. Virgo ſecundùm S. Thomam eſt præſervata ne cum peccato originali conciperet, nunquam contraxit peccatum originale. 2. Illa verba: *ne cum peccato originali conciperet* vel reſpiciunt tempus quo B. Virgo Chriſtum concipiebat, ità ut tunc immunis eſſet ab originali, quando concipiebat, vel reſpiciunt omne præteritum tempus excepto primo inſtanti animationis, vel deniq; reſpiciunt omne tempus includendo etiam primum inſtans quo B. Virgo fuit in rerum natura? Non primum: quià hoc non foret Privilegium Virginis, cùm etiam aliæ matres caruerint originali quando concipiebant, & ſic caruit S. Anna eius Mater. Non ſecundum, *Probatio 9.*

quia ſic non fuiſſet abſq; originali aliquando habito, adeoq; cum peccato originali concepiſſet: ergò illa verba reſpiciunt omne præteritum tempus, quo B. Virgo fuit in rerum natura, ergò etiam primum inſtans infuſionis animæ. 3. Eſſe ſine peccato originali, vel ſignificat contraxiſſe aliquando, & poſtea mundatum eſſe ab illo, vel ſignificat nunquam contraxiſſe? Si primum; hoc habuerunt omnes alij, & aliæ, qui per cæremonias legis mundabantur, proinde non fuiſſet Privilegium Virginis: ſi ſecundum; habeo intentum; & dico hic clarè adſtrui à D. Thoma Immaculatam Conceptionem B. Virginis, non tantum activam, ſed & paſſivam. Quartò combinando hunc articulum 4. q. 32. in 3. parte ſummæ, cum alio de eadem materia in Mag. Sententiarum, apparet quòd hoc loco S. Thomas conſultò mentionem fecerit immunitatis ab originali, & piæ Sententiæ adhærere voluerit. Nam ſcribens in Magiſtrum proponit hanc quæſtionem *Vtrùm Virgo aliquid activè ad Chriſti Conceptionem operata fuerit*. Et pro affirmativa adducit: S. Ioan. Damaſc. *Damaſcenus dicit, quòd non tantum dedit Spiritus Sanctus Virgini potentiam receptivam Verbi, ſed ſimul etiam generativam &c.* Et cùm poſteà pro negativa ſe declaraſſet, reſpondet ad primum: *quòd in Conceptione Chriſti fuit duplex miraculum: unum quòd fœmina concepit DEVM, aliud quòd Virgo peperit Filium.* His jam relatis correſpondet articulus, quem hoc loco diſcutimus; Nam quærit in illo *Vtrùm B. Virgo aliquid activè egerit in Conceptione Corporis Chriſti.* pro affirmativa adducit Damaſcenum ſicut ſupra: *Dicit enim Damaſcenus quòd Spiritus Sanctus ſupervenit Virgini, purgans ipſam, & virtutem ſuſceptivam Verbi DEI tribuens, ſimul autem, & generativam:* Poſteà in reſponſione ait: *Ad primum ergò dicendum, quòd illa Conceptio tria Privilegia habuit, ſcilicet quod eſſet ſine peccato originali, quod eſſet non puri hominis &c.* quæ initio hujus §. retuli. Ecce ſcribens D. Thomas in Mag. Sent. nullam facit mentionem de immunitate ab originali. ſed alia duo Privilegia vocat miracula. Si ergò verum eſt (ut volunt Divi Thomæ diſcipuli) quòd S. Thomas ſummam ultimo loco ſcripſerit, apertè hic adjecit, quod in Magiſtrum Sententiarum ommiſerat, recenſendo inter miracula, & Privilegia Virginis concipientis Chriſtum, etiam immunitatem ab originali: & non qualemcunque immunitatem; ſed omnimodam, ità ut nunquam originale contraxerit B. Virgo; quia contrahere & mundari ab illo, nec eſt miraculum nec Privilegium, ut dictum; ſed

Probatio 91.

Probatio 92.

D. Tho. in d. 3. q. 2. a. 1.

Locus 50.

3. p. q. 32. a. 4. ad 1.

Probatio 93.

ſed in ipſo initanti animationis fuiſſe immunem, & liberam ab originali: hoc præter rerum ordinem, hoc miraculum, hoc ſpeciale Privilegium eſt, prius nulli, nec poſtea puro homini conceſſum. Licet autem in allegato loco S. Thomas non meminerit Privilegij ſeu exemptionis ab originali, nihilominùs, in illo etiam favit piæ Sententiæ, aſſerendo *quòd fœmina concepit DEVM, & Virgo peperit Filium.* ubi à Maternitate Virginis, & Virginitate Matris duplex eſt pro præſervatione argumentum.

§. XXIV.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam, Ex eodem Tomo XII. Operum.

Locus 51. 52. 53. 54.

QVinquageſimus primus locus eſt in eadem ſumma P. I. 3. q. 35. a. 5. ubi quærit S. Doctor *Vtrùm Chriſtus fuerit natus ſine dolore Matris.* & pro negativa adducit primum argumentum. *Sicut enim mors hominum ſubſecuta eſt ex peccato primorum parentum (ſecundum illud Gen. 2. quacunq; die comederitis ex eo, morte moriemini) ità etiam dolor partus, ſecundùm illud Gen. 3. In dolore paries filios.* Contradicit deinde: *ſed Contrà eſt, quòd Auguſti. dicit in ſermone de Nativitate alloquens Virginem Matrem: Nec in Conceptione inquit, inventa es ſine pudore, nec in partu inventa es cum dolore.* Et demùm reſpondet: *Ad primum ergò dicendum, quòd dolor partus conſequitur in muliere commiſtionem virilem. Vnde Gen. 3. poſtquam dictum eſt In dolore paries, ſubditur. Et ſub viri poteſtate eris: ſed ſicut dicit Auguſtinus in ſerm. de Aſſumpt. Beatæ Virginis, ab hac Sententia excipitur Virgo Mater DEI, quæ quià ſine peccati colluvione, & ſine virilis admiſtionis detrimento Chriſtum ſuſcepit, ſine dolore genuit, & ſine integritatis violatione, pudore Virginitatis integra permanſit.* Hic plura ſunt conſideratione digna. 1. Fatetur D. Thomas, quòd ſicut mors hominum originem habet à primorum parentum peccato. ità dolor parientium. Fatetur etiam ab hoc dolore

D. Tho. 3. p. q. 35. a. 6 Locus 51.

Locus 52.

Probatio. 94.

Digitized by Google

liberam fuiſſe B. Virginem ; ergò cum non contradicat huic argumento ſuo, ſaltem tacitè inſinuat B. Virginem caruiſſe primorum parentum culpâ, cùm caruerit pœna, ut anteà probatum eſt, ſequi. Quod quidem alibi clariùs expreſſit cùm docuit, ex primo parentum peccato ſubſecutas pœnas, quæ ad omnes pertineant. *Mulieri quidem attributa eſt pœna. &c. Primò quidem quantum ad tædia, quæ ſuſtinet portando prolem conceptam, & hoc ſignificatur cùm dicitur Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. Et quantum ad dolorem, quem patitur in pariendo, & quantum ad hoc dicitur: In dolore paries. &c.* Similia retuli ſupra ex Commentarijs in Geneſim, ſed hic ſubdit: *Quæcunq; enim mulier concipit, neceſſe eſt, quòd ærumnas patiatur, & cum dolore pariat, præter B. Virginem, quæ ſinè corruptione concepit, & ſine dolore peperit: quià eius Conceptio non fuit ſecundùm legem naturæ à parentibus derivata.* Locum hunc adduxi ſup. §. 13. ſed non expendi: hic verò obſervo, quòd dicat S. Doctor, *quià eius Conceptio non fuit ſecundùm legem naturæ à parentibus derivata.* Si hic accipiatur Conceptio pro Conceptione activa, cauſalis nõ habet vim prout jacet. Non enim ſequitur; quòd quæ non concipit ſecundum legem naturæ eoipſo libera ſit à doloribus partus, quià poteſt dari Conceptio activa præter leges naturæ, & tamen partus ſubſequens non eſſe liber à doloribus ſine ſpeciali miraculo. Quòd probo: non implicat mulierem aliquam concipere abſq; commiſtione virili, ſi Dœmon virile ſemen ſuffuretur, & clam eius utero infundat; tali caſu mulier cùm conceperit, non erit libera à partus doloribus, & tamen eius Conceptio activa non erit ſecundum legem naturæ, ergò non ſequitur, quod eoipſo, quæ non concipit ſecundum legem naturæ, libera ſit à doloribus partus: ergò illa cauſalis Divi Thomæ in alio ſenſu intelligenda eſt; ſed non poteſt intelligi in alio ſenſu, niſi dicatur S. Thomas per nomen Conceptionis hic intelligere Conceptionem paſſivam B. Virginis, ergò ità ſentiendum: & conſequenter dicta cauſalis æquivalebit huic: *quià B. Virgo non fuit concepta à parentibus ſecundùm legem naturæ* id eſt; ut contraheret, ſecundùm legem naturæ corruptæ, peccatum originale. Et certè rectè ſequitur ex hac cauſali liberam eſſe à doloribus partus. Nam ſiquis ita formet argumentum: Ideò mulieres patiuntur dolores in partu, quià contraxerunt peccatum originale dum conciperentur, cujus pœna, & effectus ſunt dolores in partu, ſed B. Virgo non contraxit originale pecca-

B. Tho. 2. 2. q. 164. art. 2.

Ib. ad 3. Locus 53.

Probatio 95.

tum

Digitized by Google

tam dum conciperetur, ergò non eſt paſſa dolores in partu: non video quomodo poſſet negari cauſalis; præſertim cùm S. Thomas alibi aſſerat, quòd in ſtatu Innocentiæ, primo homine non peccante, fuiſſet generatio per coitum, & *ad pariendum non doloris gemitus, ſed naturalis impulſus fœminea viſcera relaxaret.* ergò ideò præcisè, quia peccavit primus homo, & mulieres ab ipſo propagatæ participarunt de illo peccato, dolores patiuntur in partu, ergò ſi de peccato non participent, liberæ ſunt à doloribus in partu: ergò ne dicamus S. Thomam minùs aptè locutum, intelligi debet de Conceptione paſſiva non activa, loqui loco ſup. citato. 2. Alterum hic conſideratione dignum eſt, quòd dicat S. Doctor ad mentem S. Auguſtini: *ab hac Sententia excipitur Virgo Mater DEI.* quæ eſt illa Sententia? *In dolore paries,* & *ſub viri poteſtate eris.* hinc arguo: Sententia fertur in reos, ergò cùm B. Virgo excipiatur ab hac Sententia, ſignum eſt non fuiſſe ream hujus ſententiæ, ergò nunquam contraxit peccatum originale propter quod lata eſt illa Sententia. 3. Addit S. Doctor duplicem cauſalem *quia ſine peccati colluvione, & ſine virilis admiſtionis detrimento Chriſtum ſuſcepit.* per peccati colluvionem non poteſt aliud intelligi, quam infectio originalis peccati; tùm primò, quia hic duo diſtincta per particulam & copulavit S. Doctor, & alterum foret ſuperfluum, ſi idem ſignificarent; tùm ſecundò, quia virilis admiſtio, fieri poteſt ſine peccato, & defacto ſæpè mulieres concipiunt ſine peccato, nec tamen ſunt liberæ à doloribus partus: igitur illud *ſine peccati colluvione* referri debet ad immunitatem ab originali peccato, propter quam B. Virgo non eſt paſſa dolores in partu. Vnde hic duæ ſunt rationes aſſertæ hujus exemptionis. 1. Immunitas ab originali, expreſſa illis verbis *ſine peccati colluvione.* 2. Conceptio miraculoſa, expreſſa illis verbis: *ſine virilis admiſtionis detrimento.* ità ut altera ſine priore non ſit ſufficiens ad liberandam B. Virginem à doloribus partus, ſine novo miraculo; prior tamen ex natura rei ipſam eximit à doloribus.

D. Tho. 1. p. q. 98. a. 2. ad 4.

Probatio 96.

Probatio 97.

II. Quinquageſimus quartus locus eſt ib. q. 37. a. 4. ubi S. Doctor quærit: *Vtrùm Mater DEI convenienter ad templum purganda acceſſerit.* & reſpondet: *Dicendum, quòd ſicut plenitudo gratiæ à Chriſto derivatur in Matrem, ita decuit ut Mater humilitati Filii conformaretur: humilibus enim DEVS dat gratiam &c.* addit poſtea: *voluit & Matrem ſuam implere legis obſervantias, quibus tamen non erat obnoxia.* Et iterùm: *Ad primum ergò dicendum, quòd*

D. Tho. 3. p. q. 37. a. 4.
Locus 54.

Digitized by Google

quòd licet B. Virgo nullam haberet immunditiam, voluit tamen purgationis obſervantiam implere, non propter indigentiam, ſed propter legis præceptum. Non ſum neſcius hoc loco tractari de immunditijs puerperarum purgandis ſecundùm legem: nihilominùs puto S. Doctorem etiam hic favere Immaculatæ Conceptioni.

Probatio 98. tum 1. quià dicit: *Sicut plenitudo gratiæ à Chriſto derivatur in Matrem &c.* per quæ innuit Matrem Virginem non ſolùm plenam gratiâ, ſed proximè plenam poſt Chriſtum, adeoq; proximè immunem ab originali peccato, poſt Chriſtum, quod argumentum ſupra expendi.

Caiet. ad loc. cit. Probatio 99. tùm 2. quià ad hunc articulum Caietanus: *Sicut gratia à Chriſto in matrem, ita & humilitas; ergo ſicut Chriſtus ſub lege, ità & Mater.* Si non aliter ſub lege Mater, quàm Chriſtus, cùm inter cœtera ad legem ſpectantia ſit etiam contrahere originale in Conceptione paſſiva, ſequitur huic legi Matrem non eſſe obnoxiam uti nec Chriſtum, ſed Chriſtus omninò liber & immunis ab originali, ergo & Mater non dico eodem modo, ſed ſaltem immunis ut illud nunquam contraheret.

Probatio 100. tùm 3. quia ſimpliciter, & ſine reſtrictione dicit S. Thomas *B. Virgo nullam habuit immunditiam*, dicendo nullam omnes excluſit immunditias, & ſi voluiſſet intelligere ſolas puerperarum immunditias, addidiſſet *nullam habuit immunditiam puerperæ.* Igitur & hic, & alibi multoties D. Thomas Immaculatæ Conceptioni indirectè ſubſcripſit.

Probatio 101. Quid quod ibidem clariùs adſtruat omnem omninò immunditiam à Beata Virgine abſuiſſe; dicit enim ad 3. ubi dividit immunditiam culpæ, & immunditiam cuiuſdam irregularitatis, & claudit: *Neutram tamen immunditiam Beata Virgo contraxerat, & ideò non indigebat purgari.*

§. XXV.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam, Ex Tomo XIII. Operum.

Locus 55. 56. 57.

D. Tho. in Pſ. 14. Locus 55.

I. LOcus Quinquageſimus quintus eſt in Commentarijs Pſalmorum, ad Pſ. 14. ubi ait S. Thomas, explicans illa verba: *Qui ingreditur ſine macula &c. Vita iſta quædam*

via

via eſt ad vitam æternam. Et ideò dicit ingreditur, id eſt in via graditur Pſ. 41. Ingrediar in locum tabernaculi. Item 118. Beati immaculati in via, ſine macula, ſcilicet mortali, quià peccatum veniale non habet maculam propriè. Eccl. 31. Beatus dives qui inventus eſt ſine macula. Sed in Chriſto , & in Virgine MARIA nulla omninò macula fuit. Similia ſuprà expenſa ſunt, quibus hæc ſocianda. In particulari hic vim habet hæc univerſalis : *In Chriſto & in Virgine MARIA nulla omninò macula fuit* ergò B. Virgo ſine macula originali Concepta. Prob. conſeq. quia ſine diſparitate à Chriſto & Virgine tollit maculas, ergò ab illis omnibus maculis fuit immunis Virgo, à quibus Chriſtus, ergò etiam ab originali. 2. Nulla macula fuit in Virgine, de quibus paulò ante mentionem fecit id eſt macula mortalis, quæ eſt propriè macula, & venialis, quæ eſt impropriè macula, ergò etiam macula originalis, quæ continetur ſub macula mortali, utpote mortem afferens animæ. 3. Miror eos, qui in hac vniverſali propoſitione D. Thomæ : *In Virgine MARIA nulla omninò macula fuit* volunt exceptionem habere, & dicunt non eſſe tam univerſalem, quin excludatur macula originalis : econtrà verò in illa altera *In Adam omnes peccaverunt* nullam admittunt exceptionem, ſed aſſerunt omnes homines compræhendi, cùm tamen negativa propoſitio magis quodammodo univerſalis ſit quàm affirmativa ; & negatio, ut conſtat, eſt malignantis naturæ, quæ negat quidquid poſt ſe invenit. *Probatio 102.* *Probatio 103.*

II. In Pſalmum 18. ait S. Thomas : In Sole poſuit tabernaculum ſuum. *In Sole poſuit &c. id eſt corpus ſuum poſuit in Sole, id eſt in Beata Virgine, quæ nullam habuit obſcuritatem peccati.* Obſcuritas eſt carentia lucis , lux eſt gratia , carentia igitur gratiæ peccatum eſt tàm mortale perſonale, quàm originale, cùm ergò dicit S. Thomas B. Virgo nullam habuit obſcuritatem peccati ; dicit, nullam habuit carentiam gratiæ ; nullam omninò, id eſt nec ex mortali perſonali , nec ex originali peccato emanantem. *D. Tho. in Pſ. 18. Locus 56.* *Probatio. 105.*

III. In Pſ. 45. Explicans illud *Sanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus: DEVS in medio eius, non commovebitur :* applicat primò Eccleſiæ, deinde Chriſti corpori, de quo dicit: *Corpus Chriſti eſt tabernaculum, quià in eo eſt tota plenitudo divinitatis. Hoc tabernaculum Sanctificavit altiſſimus. Non quòd aliquando non fuerit ſanctum, ſed quià in ipſa Conceptione ſanctum ipſe formavit.* Deniq; convertens ſe ad DEIparam hæc quoq; ipſi applicat: *Locus 57. D. Tho. in Pſ. 45.*

Poſſunt hæc referri ad Beatam Virginem, quia ipſa eſt civitas, in ipſa habitavit, ipſam fluminis impetus ſcilicet Spiritus Sanctus lætificavit, ipſam Sanctificavit in utero Matris ſuæ, poſtquam formatum fuit corpus, & creata anima. Tunc primò operuit gloria Domini tabernaculum, ut dicitur Exodi 40. Locum hunc ſupra expendi ſatis §. 16. hic ſolùm libet conferre modum loquendi Divi Thomæ de ſanctificatione B. Virginis, & Chriſti. Dicit enim de Chriſto *Sanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus; non quòd aliquando non fuerit ſanctum, ſed quià in ipſa Conceptione ſanctum ipſe formavit.* De B. Virgine verò: *Ipſam Sanctificavit in utero Matris ſuæ poſtquam formatum fuit corpus, & creata anima.* Quæro an in eodem ſenſu applicet Chriſto, & B. Virgini illum Pſalmi locum, an in diverſo? ſi in eodem ſenſu; ſequitur DEIparam nunquam contraxiſſe originale: ſi in diverſo, cur non oſtendit diſparitatem, aut diverſitatem applicationis? Sed quòd in eodem ſenſu accipiat ſanctificationem B. Virginis & Chriſti, id eſt in ipſa formatione corporis dum animatur; colligitur ex ipſis verbis; *poſtquam formatum fuit corpus, & creata anima* id eſt ſtatim ſequenti inſtanti naturæ, ità ut pro nullo inſtanti temporis caruerit ſanctitate anima B. Virginis. Hoc ità intelligendum eſſe patet ex alio loco D. Thomæ, ubi loquens de Chriſto, inquit: *Videmus eum plenum gratiâ & veritate, quaſi unigenitum à patre: quià quàm citò conceptus fuit, fuit unitus divinæ naturæ, & tam citò fuit plenus gratiæ.* quod eſt idem ac dicere, poſtquam unitus fuit divinæ naturæ, fuit plenus gratiâ. Si ergo ly *poſt* ſecundùm D. Thomam ſignificat poſterioritatem naturæ, non ſolùm temporis; æquum eſt, ut ubi de ſanctificatione Virginis loquitur D. Thomas intelligatur in favorem Virginis. Pulchrè in hunc ſenſum reſolutus Doctor Ioannes Bacconis *Quod dicitur, quòd mox poſt ſuum eſſe conceptum fuit Mater DEI exempta, intelligendum eſt, quod ly mox dicit ordinem naturæ non temporis, ut ſic in eodem inſtanti ſecundùm rem fuerit concepta ſub neceſſitate contrahendi, & exempta.* Similibus terminis eſt uſus etiam S. Vincentius Ferrerius, de quo infrà. Cùm ergo D. Thomas ait ſanctificatam B. Virginem *poſtquam formatum fuit corpus, & creata anima* intelligit poſterioritatem naturæ, & ſanctificationem factam, non quòd B. Virgo aliquandò non fuerit ſancta, ſed quòd in ipſa Conceptione formato corpore & organizato anima Virginis creata ſit ſancta.

Probatio 106.

Probatio 107.

D. Tho. in Pſal. 20.

Io. Bacc. in 4. d. 2. q. 3. a. 4.

§. XXVI.

Digitized by Google

§. XXVI.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam, Ex eodem Tomo XVI. Operum.

Locus 58. 59. 60. 61. 62. 63.

I. PRætermiſſis pluribus alijs locis in Tomo 14. & 15. qui complectuntur Commentarios in Evangelia, & Catenam SS. Patrum: tranſeo ad Epiſtolas D. Pauli: in quibus occurrit Locus Quinquageſimus octavus, in Comment. Epiſtolæ ad Romanos: ubi S. Doctor ad illa verba: *In quo omnes peccaverunt*, expreſsè addidit *Vnâ exceptâ B. Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati.* quibus ſanè nihil clariùs, nihil ad cujuſq; captum intelligibilius dici potuit de Immaculata Virginis Conceptione. Scio hæc verba in editionibus Recentioribus expuncta eſſe, ſicut & plura alia partim expuncta, partim vitiata ſunt; nihil tamen expunctio iſta nos morari debet ad credendum, quòd D. Thomas diſertiſſimè pronuntiaverit DEIparam ab originali labe immunem, quia ſervatur hodieque vetuſtum exemplar Commentariorum D. Thomæ in Epiſtolas S. Pauli. in Bibliotheca Sfortiana Romæ, in quo illa verba reperiri, & legi atteſtatur Ferdinandus Guevarra Canonicus Aſturicenſis Anno 1625. edito publico inſtrumento, in quo etiam hæc formalia verba: *Poſtquam verò intravi Bibliothecam Eminentiſſimi Domini Cardinalis Sforza, quendam librum inveni fortuitò ex Operibus S. Thomæ ſuper Epiſtolas S. Pauli, ad magnitudinem unius Miſſalis, ex litera perantiqua, tabulis coopertum. Ego quippe ſingulari devotione permotus illum textum exquiſivi: Omnes in Adam peccaverunt &c. ſuper quem textum aſſerit Sanctus (ut patenter vidi)* Vnâ exceptâ B. Virgine, quæ nullam contraxit maculam Originalis peccati. *Quamobrem obnixè ſupplicabam Eminentiſſimo Domino Cardinali Sforza, ut mihi faceret copiam ferendi mecum dictum Commentarium S. Thomæ &c.* Recenſet deinde, quomodo impetratum librum attulerit Domino ſuo, cujus erat

Locus 58. D. Tho. in Ep. ad Rom. c. 5. lect. 3.

Probatio 108.

Guevarra apud Nieremb. in Except.

Digitized by Google

Theologus Cardinali de Frexo, qui cùm viſis prius Editionibus tribus præfati Commentarij, unâ Romanâ, alterâ Mediolanenſi, tertiâ Neapolitanâ nuſquam illa verba reperire potuiſſet, ſine mora adijt Summum Pontificem Vrbanum VIII. *ſecum ferens* (ait prædictus Guevarra) *librum antiquum, & tres noviores iam relatos, rogavitque cum magna animi teneritudine, reverentia, & humilitate, ut ſua Sanctitas veritatem cernere dignaretur, ac indicare, quam opinionem aut mentem habuerit S. Thomas, qui ſine æquivocatione, aut plurium verborum ambage, illa iam ſupra relata clariſſimè aſſeruit:* Vnâ exceptâ B. Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati: *quæ omnia verba modernis defuerunt impreſſionibus, quemadmodum ſua ſanctitas luculenter videbat, qui propterea demiratus muniendo ſe ſæpius ſigno S. Crucis, dixit: rem eſſe magni momenti, ac conſideratione dignam, ſibiq; magnam novitatem ac admirationem attuliſſe; ſcireq; voluit ubinam fuit inventus prædictus liber. &c.* Sic Guevarra, cujus Inſtrumentum verbatim deſcripſit Nierembergius in Exceptionibus, ad quem pro majori hujus rei notitia lectorem remitto.

Niremb. Except. cap. 21.

Locus 59. D. Tho. in Ep. ad Gal. c. 3. lect. 6. Probatio 109.

II. Similis locus ſe offert in Commentarijs Epiſtolæ ad Galat. ubi D. Thomas ait: *Virum de mille unum reperi, ſcilicet Christum, qui eſſet ſine omni peccato: mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ omninò à peccato immunis eſſet, ad minùs originali vel veniali: excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo.* Hæc tàm clara verba pro Innocentia Originali DEIparæ inveniuntur In pluribus editionibus antiquis, in Pariſienſibus Año 1529. 1532. 1541. & 1592. In Lugdunenſi Anno 1541. Item in Veneta Editione Anno 1555. ſed in alia Veneta Anno 1586. & rurſum Anno 1593. & 1598. Item in Antverpiana 1612. & alijs ſublata ſunt poſtrema illa Immaculatæ Conceptionis aſſertiva *Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo.* Si ſic agitur cum D. Thomæ Operibus, & pro libitu depravantur, mutilantur, vitiantur, quid de ſic agentibus ſentire par erit? In Grammatica à verbo depravo, depravatus, formantur depravatio, depravator &c. In Iure Canon. qui radunt chartas aut literas, ab officij honore depoſiti in Monaſterium retruduntur. & falſitas quando eſt nociva, vel apta nocere, tum committens illam punitur pœna falſi, ut per *Bal. in l. damus & ibi Apoſtilla in verbo noceat. C. de falſis. Anachar. Socinas, Iaſon, & alij &c.* niſi fortè raſura ſimilium propoſitionum correctio ſit, quia P. F. Morelles ait

diſt. 50. Si Epiſcopus.

Anachar. Conſ. 24.

Socin conſ. 103. Iaſ. conſ. 153. n. 4. Morell. in frontiſp. Opp.

ait *Editio nova, quamplurimis quibus ſcatebat mendis correcta.* correctio autem paſſim conceditur. *Pariſ. conſ. 95.* quia tenor literarum eſt verificandus *c. cum olim. De privileg. & in c. fi. de fide inſtr. &c.* Viderint illi, quorum intereſt, quomodo, quando, & cur talia expuncta ſint, & depravatas editiones cum *vetuſtiſſimis manuſcriptis Codicibus* melius conferant, & illa ſolùm corrigant, quæ corrigenda ſunt, non quæ privatis obſtare videntur opinionibus. Cœterùm locum allegatum, prout nos illum produximus, tanquam genuinum Divi Thomæ partum agnoſcunt Turrecremata, Catherinus, Petrus Doré Dominicani. Ex alijs Cucarus, Caniſius, Salmeron, Michaël Mediolanenſis, P. Oieda, Serranus, & apud hos plures. qui videri poſſunt, ne videamur verba dare: dum verba facimus.

III. Sexageſimus locus eſt in eodem Tomo in Sermonibus Feſtivis. Sermone de Purificatione B. Virginis ait S. Thomas: *Statim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator. &c. Hæc verba poſſunt exponi de adventu Domini ad templum materiale. Secundò ſecundùm allegoriam de adventu eius in uterum Virginis.* Vbi plura expendenda proponit inter alia: *ſecundò loci ad quem veniet ſanctitas:* & poſt nonnulla: *Poſſunt autem hic intelligi de adventu in uterum Virginis. Ipſa enim eſt templum DEI mirabile præ omnibus ſanctis &c.* poſt paucula: *Secundò quià deſiderabiliter pulchrum 3. Reg. 6. Nihil erat in templo quod non auro tegeretur, quia nihil in Virgine, quod non ſanctitate plenum eſſet. Cant. 5. Tota pulchra es amica mea &c.* Expende hic *templum ſanctum* eo ſenſu quo libro I. ad mentem SS. PP. accipitur vox *ſanctum*. Deinde: *templum mirabile præ omnibus Sanctis*, id intellige vel ſanctis abſolutè, vel ſanctis templis, quià idem eſt, cùm maneat in Allegoria. Denique illud clariſſimum ad rem noſtram: *Nihil in Virgine, quod non ſanctitate plenum.* nihil opponitur omni, ergò vice verſa omnia, quæ erant in Virgine, erant plena ſanctitate. Porrò in Virgine fuerunt, anima, corpus, potentiæ, duratio, ſeu tempus vitæ, quæ omnia poſſunt repleri ſanctitate; ſi igitur *nihil in Virgine quod non ſanctitate plenum*, etiam duratio Virginis ſeu continuatio vitæ à primò inſtanti ad ultimum ſanctitate plena. Hanc fuiſſe mentem D. Thomæ colligitur ex annexis verbis: *Tota pulchra es amica mea.* Non eſſet *Tota pulchra,* ſi in aliquo inſtanti infecta.

IV. Sexageſimus tertius locus ſequitur in alio Sermone de eadem materia; ubi S. Doctor enumerat ſeptem virtutes B.

Pariſ. conſ. 95. n. 14. l. 4.
Turrecrem. Tract. de Concept. Cather. Opuſc. de Concept. Doré in Idea Virt. Cuchar. Elucidar. p. 2. Caniſ. de B. V. lib. 1. c. 6. Salm. in Ep. ad Rom. D. 61. Oied. c. 14. §. 3. Serran. lib. 2. c. 29. Henriq. de Sacr. pœn. c. 11. D. Tho. in Sermo: Serm. 1. de Puriſ.
Locus 60.
Locus 61.
Locus 62.
Probatio 110.

D. Tho. ſer. 2. de Purif. Locus 63. Virginis in die Purificationis, inquiens: *Poſſunt notari ſeptem virtutes in Beata Virgine. Prima humilitas in purgatione, cùm non indigeret: Secundò amor puritatis in ſuperabundanti purgatione. &c.* poſt pauca ſubdit: *In hoc quòd B. Virgo voluit purgari, cùm non indigeret; docuit quomodo nos, qui indigemus debeamus purgari. Debemus autem purgari ſeptem modis, ſicut poteſt colligi ex textu. Primò à peccati coinquinatione Eccle. 47. Chriſtus purgavit peccata Heb. 1. Purgationem peccatorum faciens &c.* Hæc inter ſe combinata, clarè oſtendunt S. Doctoris mentem de Immaculata Virginis Conceptione. Nam cùm dicit B. Virginem non eguiſſe purgatione à peccati coinquinatione, quam Chriſtus in nobis purgauit; & Chriſtus in nobis purgationem fecit principaliter peccati originalis, ſequitur B. Virginem non eguiſſe purgatione peccati originalis. Quod ſi libet argumentari in forma ex mente S. Doctoris, ſic arguo: B. Virgo non indiguit purgari ab ullis peccatis, quorum purgationem in mundo fecit Chriſtus, ſed Chriſtus fecit purgationem à peccatis non tàm actualibus, quàm principaliter ab originali, ergò B. Virgo non indiguit purgari à peccato originali. Argumentum eſt in forma; minor eſt euidens, & cui contradici non poteſt: major patet ex textu S. Doctoris modò allato, ubi dicit B. Virginem non indiguiſſe purgari ſicut nos indigemus purgari, à peccatis, ſcilicet, quæ Chriſtus purgare uenit.

Probatio III. D. Tho. Opuſc. 10. art. 28. & Opuſc. 11. a. 23.

§. XXVII.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam, Ex Tomo XVII. Operum.

Locus 64. 65. 66. 67.

I. Tomo XVII. Operum D. Thomæ comprehenduntur Opuſcula, & ſcriptum ſecundum in libros Sententiarum ad Annibaldum Cardinalem. Hic, ut multa præteream

D. Tho. Op.uſc. 2. cap. 221. Locus 64. Locus Sexageſimus quartus eſt in Opuſculo II. ſeu compendio Theologiæ capite 221. ubi S. Doctor ait: *Cùm autem forma-*

Digitized by Google

formatio Corporis Chriſti fieri debuerit per Spiritum Sanctum, oportuit illam fœminam, de qua Chriſtus corpus aſſumpſit, maximè ſpiritualibus donis repleri, ut per Spiritum Sanctum non ſolùm anima fœcundaretur virtutibus, ſed etiam venter prole divinâ. Vnde oportuit non ſolùm mentem eius eſſe immunem à peccato, ſed etiam corpus eius ab omni corruptela carnalis concupiſcentiæ, elongari. Locus 65. Argumentum à Maternitate B. Virginis ſuprà non ſemel attigi; Probatio 112. à Virginitate etiam aliud argumentum proſecutus ſum, ubi oſtendi DEIparam debuiſſe eſſe maximè Virginem, ſeu maximam Virginum, adeoq; non tàm Virginem carne, quàm mente; & ſicut Virginem carne ſecundùm omnem durationem ejus uitæ, ità multò magis Virginem mente ſecundùm omnem durationem uitæ. Et ex quod ibi dixi interpretatiuè, hic S. Thomas formaliter ipſe adſtruit cùm ait: *Oportuit non ſolùm mentem eius eſſe immunem à peccato, ſed etiam corpus eius ab omni corruptela.* quibus uerbis 1. expreſsè requirit ad Maternitatis DEI munus immunitatem à peccato, quod ſimpliciter prolatum ſonat immunitatem ab omni peccato, nullo excepto. 2. Requirit puritatem, & integritatem non tàm corporis quàm animi. 3. Supponit magis conueniens eſſe, ut Mater DEI mentem habeat integram, & nullâ peccati maculâ uiolatam, quàm ut habeat carnem integram, & incorruptam: conſequenter ſupponit, & docet DEIparam ab originali peccato prorſus immunem.

II. Locus Sexageſimus ſextus eſt in eodem Compendio Theologiæ cap. 224. ubi S. Doctor inquit: *Quià igitur, ut ex prædictis apparet, Beata Virgo MARIA, Mater Filij DEI facta eſt de Spiritu Sancto concipiens, decuit ut excellentiſſimâ puritate mundaretur, per quam congrueret tanto Filio: & ideò credendum eſt eam ab omni labe actualis peccati immunem fuiſſe, non tantùm mortalis, ſed etiam venialis, quod nulli Sanctorum convenire poteſt poſt Chriſtum, cùm dicatur 1. ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt. Sed de B. Virgine Matre DEI intelligi poteſt, quod Cant. 4. dicitur: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Nec ſolùm à peccato actuali immunis fuit, ſed etiam ab originali, ſpeciali privilegio mundata.* D. Tho. Opuſc. 2. cap. 224. Locus 66. Emphaſim hăbent hoc loco plura: potiſſimum 1. Quia erat futura Mater Filij DEI, decuit ut excellentiſſimâ puritate niteret, Probatio 113. ſed excellentiſſima puritas eſt, ut ſuprà dictum, potuiſſequidem peccare, nunquam tamen peccaſſe, adeoq; nunquam actu contraxiſſe originale, ergò. 2. *Credendum eſt*, ait, *eam ab omni labe* Probatio 114.

actua-

actualis peccati immunem fuiſſe. quid ſi tacitè etiam intelligeret originale actu contractum, quod actuale dici poteſt, dum actu animam fœdat, & reddit odioſam DEO? ſub hac certè univerſali, legitimo ſenſu comprehendi poteſt. Et ſic intellexiſſe hunc locum S. Doctorem, videtur evinci ex ſubſequenti; *quod nulli Sanctorum convenire poteſt poſt Chriſtum.* Cæteris Sanctis convenit immunes eſſe à peccatis perſonalibus non tantùm mortalibus, ſed etiam venialibus actu contractis, non tamen convenit eſſe ab originali actu contracto; ergò B. Virginem ab omni labe actualis peccati immunem fuiſſe aliquid amplius ſonat, ergò immunem fuiſſe etiam ab originali. quia hoc ſolum

Probatio 115. eſt, quod nulli Sanctorum convenire poteſt poſt Chriſtum. 3. Subiungit meritò S. Doctor quòd de Virgine Matre DEI intelligi poſſit illud: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* quia per hunc textum, ſi omnia alia deficerent argumenta, ſufficienter S. Doctor mentem ſuam aperiret, quòd B. Virgo ſit concepta ſine macula originali: textus enim hic ex Canticis unus eſt ex præcipuis, quibus ex Scriptura Sacra Immaculata Conceptio adſtrui ſolet, ut libro 1. Operis oſtendo. 4. Cla-

Probatio 116. riſſimè addit: *Nec ſolum à peccato actuali immunis fuit, ſed etiam ab originali, ſpeciali privilegio mundata.* quibus verbis meliùs explicat, quod ſupra aſſeruerat. Quòd autem ait mundata, non debet intelligi mundata à præexiſtente peccato; ſed mundata, id eſt munda creata, munda concepta, ſicuti alibi idem S. Do-

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 3. ad 3. ctor dixerat de purgatione B. Virginis, *quæ non fuit ab aliqua impuritate culpæ:* uſus paritate de Angelis: *Nam & Angeli purgari dicuntur, in quibus nulla impuritas invenitur.* Imò loquens de Carne Chriſti: *Chriſtus non aſſumpſit carnem humani generis ſubiectum peccato, ſed ab omni infectione peccati mundatam:* ubi vox mundata accipitur pro munda, quia ſenſus eſt compoſitus, & dum aſſumeret carnem munda erat omnis nævi expers. ergò

D. Tho. 3. p. q. 31. a. 7. ad 1. hic ad mentem S. Thomæ DEIpara pronuntiatur immunis ab omni, etiam originali peccato per ſpeciale privilegium. Quid pluribus opus?

III. Nolo prætermittere ea, quæ citato loco ſubijciuntur; tametſi primâ fronte videantur favere opinioni contrariæ. Sub-

Locus 67. dit S. Doctor: *Oportuit ſiquidem quòd cum peccato originali conciperetur; utpote, quæ ex utriuſq; ſexus commiſtione concepta fuit. Hoc enim Privilegium ſibi ſoli ſervabatur, ut Virgo conciperet Filium DEI. Commiſtio autem ſexûs, quæ ſine libidine eſſe non poteſt*

poſt

poſt peccatum primi parentis, tranſmittit peccatum originale in prolem. Ex his planè evinco S. Thomam piæ ſententiæ ſubſcripſiſſe, removendo unum, quod obſtare videtur; premendo alterum, quod Sancti mentem declarat. *Oportuit*, inquit, *quòd cum peccato originali conciperetur.* Verbum *oportuit*, ſonat ſolùm neceſſitatem contrahendi peccatum, ſeu debitum; non autem actualem contractionem; *Oportet Eliam venire.* Marci 9. *Oportet ſemper orare.* Lucæ 18. *Oportet eſſe Epiſcopum ſine crimine* ad Tit. 1. & alia plura, neceſſitatem ſolùm important non actum; & ut Elias non veniat DEVS poteſt diſpenſare. S. Paulus dicebat: *Oportet me & Romam videre.* potuit tamen contrarium facere, ſic S. Thomas cum dicit de B. V. *Oportuit* & idem eſt acſi diceret: Habuit quidem B. Virgo debitum & neceſſitatem contrahendi peccatum originale in Conceptione; utpote, quæ ex utriuſque ſexûs commiſtione concepta fuit: ſed fuit ab eo ſpeciali privilegio mundata, id eſt præſervata; & munda creata ſine peccato. Sic debere hunc textum intelligi affirmare hodie debent ipſimet D. Thomæ Sectatores, & reipsâ in hunc ſenſum loquuntur Caietanus, & Ferrarienſis, prout alibi dico. Per hoc ergò, quod obſtare videbatur removimus: quod favet eſt hoc: *Hoc enim Privilegium ſibi ſoli ſervabatur.* Vt melius hæc intelligantur; præcedentia, de quibus iam dictum, intrà parentheſim coërcenda ſunt, quià verba iſta *Hoc enim Privilegium &c.* cum alijs Superioribus cohærent. Ego illa ſic interpungerem: *Nec ſolùm à peccato actuali immunis fuit, ſed etiam ab originali, ſpeciali privilegio mundata (oportuit ſiquidem quod cum peccato originali conciperetur utpote, quæ ex utriuſq; ſexûs commiſtione concepta fuit) hoc enim privilegium ſibi ſoli ſervabatur. &c.*

Probatio 117.

Igitur ab originali ſpeciali privilegio fuiſſe mundatam, fuit privilegium quod Soli B. Virgini ſervabatur; ergò ab originali fuiſſe mundatam; ſignificat, nunquam actu contraxiſſe originale, ſed in inſtanti infuſionis animæ ab eo ſervatam fuiſſe, & mundam animam creatam. Probo hanc ſequelam, quià ſi ſignificaret, contraxiſſe primo inſtanti originale, & deinde ab eo liberatam, non eſſet privilegium, *quod ſoli Virgini ſervabatur;* ſed eſſet privilegium commune S. Ioanni Baptiſtæ, & Ieremiæ Prophetæ; ergò ſi fuit *Privilegium ſoli Virgini ſervatum* debent præfata verba intelligi in priori ſenſu, de præſervatione ab originali, non de emundatione præexiſtentis, & contracti. Certè ſicuti quando dicit S. Thomas de Christo: *Ipſe ſolus, & ſingularis*

Probatio 118.

D. Tho. ad Gal. c. 3. lect. 6.

ris eſt, qui non ſubiacet maledictioni culpæ, intelligitur nec habere debitum, nec culpam originalis peccati, ſolus Chriſtus omnibus alijs excluſis; ità quando dicit de B. Virgine: *ab originali ſpeciali privilegio mundata, hoc enim Privilegium ſibi ſoli ſervabatur* debet intelligi ſola Virgo tali decorata Privilegio, omnibus alijs excluſis. Et quia contraxiſſe originale, ſed ſtatim ab eo mundatum eſſe, etiam alijs convenit, ut Ioanni Bapt. & Ieremiæ, adhuc ut Privilegium ſoli Virgini ſervatum hos duos excludat, debet ſaltem intelligi; quòd B. Virgo contrahere quidem debuiſſet peccatum ex vi ſeminalis ſuæ Conceptionis, non tamen contraxerit ex vi Privilegij ſpecialis, quod quia ſoli ſervatum, nulli alteri conceſſum. Vndè etiam in eodem capite dixit: *ab eo quodam ſpeciali modo purgata fuit* non eſſet ſpecialis modus purgationis, ſi eſſet idem, qui fuit in Ieremia, & Ioanne Baptiſta; qui poſt primum inſtans animationis purgati & mundati fuerunt, ergò B. Virgo, quæ ſpeciali modo purgata (ſicut Angeli purgari dicuntur, qui nullum unquam habuerunt peccatum) in ipſo primo animationis inſtanti purgata fuit; id eſt præſervata, ne inficeretur originali peccato, eo modo, quo paulò ante diximus Carnem Chriſti mundatam.

Probatio 119.

§. XXVIII.

D. Thomas docuit B. Virgine ſine labe originali Conceptam. Ex eodem Tomo XVII. Operum.

Locus 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76.

D. Tho. Opuſc. 7. Petitio 5. Locus 68.

I. LOcus Sexageſimus octavus eſt in Opuſculo VII. in quo exponit S. Doctor Orationem Dominicam. Petitione quintâ ait: *Aliqui fuerunt ità præſumptuoſi, qui dicerent, quòd homo poterat vivere in mundo iſto, ità quòd ex ſe poterat vitare peccata. Sed hoc nulli datum eſt, niſi ſoli Chriſto, qui habuit ſpiritum non ad menſuram, & Beatæ Virgini, quæ fuit plena gratiæ, in qua nullum peccatum fuit, ſicut dicit Auguſtinus; de qua, ſcilicet Virgi-*

Digitized by Google

Virgine, cùm de peccatis agitur nullam volo fieri mentionem. Nullum peccatum fuit in B. Virgine eſt propoſitio univerſalis, ergò licet inferre nec peccatum mortale perſonale, nec veniale perſonale, nec originale, quià hæ ſunt ſpecies peccatorum: vel dicant, qui contrà ſentiunt, quare velint rigorosè intelligere S. Thomam dicentem: *quòd neceſſarium eſt omnes, qui ex Adam generantur per viam coitûs peccatum originale trahere.* nullum individuum excipiendo: & quando dicit idem S. Thomas: Nullum peccatum fuit in B. Virgine, diſtinguunt, perſonale concedendo, originale negando? Fortè dicent priorem propoſitionem eſſe in Scripturis divinis contentam, non verò poſteriorem: ſed quæro ego cur non univerſalis propoſitio Scripturæ cum aliqua exceptione intelligi poſſit, vel in ſenſu accommodo accipi? Scriptura dicit *Omnis homo mendax.* eſt propoſitio univerſalis complectens omnem, cui convenit hoc prædicatum homo; convenit autem etiam Chriſto, ſi igitur Scriptura in rigore accipienda, & de actuali mendacio intelligenda, poterit ſubſumi Chriſtus eſt homo, ergo eſt mendax. quid abſurdius? neque licet dicere Scripturam intelligere *Omnem purum hominem*, quià hoc jam eſt quærere exceptionem in univerſali propoſitione; deinde licet hoc detur, nihilominùs in rigore illius univerſalis, ſubſumi poterit de B. Virgine; Beata Virgo eſt homo, ergò mendax, quòd non multò minus abſurdum. Sicut ergo in hac & ſimilibus alijs Scripturæ propoſitionibus univerſalibus admittitur aliqua limitatio, vel exceptio; ità in hac: *In Adam omnes peccaverunt.*

Probatio 120. — *D. Tho. in 2. d. 31. q. 1. a. 2.* — *Pſ. 115.*

II. Ex eodem Opuſculo VII. alia producit verba Martanellus, nimirùm: *Nullus hominum (præter Chriſtum & B. Virginem) fuit immunis à peccato originali.* In editionibus tamen hodiernis non reperiuntur; Antverpianam accuratè luſtravi, & nuſquam inveni citatum textum: addit Martanellus: *Quæ verba etſi in recentioribus impreſſionibus non proſpicis, à priſcis tamen Auctoribus referuntur; unde corrupta, & ablata fuiſſe, cenſendum eſt: & eò magis, quò adverſarij antiquitùs dum afferebantur, non negarunt.* Facilè hoc ego mihi perſuadeo, quià cum pluribus alijs locis D. Thomæ ſic actum, non ſemel oſtendi. Et inſerta fuiſſe aliquando hæc verba Opuſculo VII. contextus ipſe Opuſculi ſuadet, uti legenti Petitionem Quintam facilè conſtabit.

Locus 69. D. Tho. Opuſc. 7. Martan. mihi pag. 9. — *Probatio 121.*

III. Adhuc elegantior, & dilucidior locus pro Innocentia Originali DEIparæ, eſt in Opuſculo 8. in Expoſitione Salutati-

D. Tho. Opuſc. 8.

Digitized by Google

onis Angelicæ, ubi S. Doctor loquens de Angelo ſalutante Vir-
Locus 70. ginem, ait: *Ipſa enim puriſſima fuit, quantum ad omnem culpam:*
Probatio *quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Hæc
122. verba etiam mutata ſunt in editionibus hodiernis; citantur ta-
Buſt. in men à Viris graviſſimis. Bernardino de Buſtis, Petro Caniſio,
Offic. die Salmerone, qui inſuper ait: Turrecrematam nobilem Thomi-
8. lect. 1. ſtam, hæc verba pro genuinis D. Thomæ agnoſcere: *Et Turre-*
Caniſ. de *cremata non eſt auſus illud immutare, ſed ſub illis verbis producit e-*
B. V. lib. *um.* Allegant eadem hæc verba formalia Ferdinandus de Sala-
1. c. 6. zar. Io. Euſeb. Nierembergius, Martanellus, Peruzzinus, & paſ-
Salmer. ſim alij, qui de hac materia ſcribunt; ut proinde nihil dubita-
in Ep. ad. re oporteat quin hæc ſint genuina S. Doctoris effata, & validiſ-
Rom. Diſp. ſima pro Immunitate Virginis ab originali, argumenta. Vi-
51. fin. deamus tamen citatum locum, prout hodie vitiatus legitur in
Salaz. c. Opuſculo 8. P. Nierembergius notat: *Illud nihilominùs invenio*
42. ſect. *in Expoſitione, licet adulteratâ, quam vidi: etiam ex ipſa immuni-*
13. *tatem à peccato originis poſſe defendi: nam S. Thomas poſt alias ex-*
Nieremb. *cellentias Matris DEI ſuprà cœleſtes Spiritus, dixit: Excedit Ange-*
Except. *los quantum ad puritatem; quod non eſſet verum, ſi originariam im-*
cap. 21. *puritatem habuiſſet.* Sic Nierembergius. & benè. Ego percur-
Martan. rendo Expoſitionem Salutationis, plura alia ſimilia, & his æ-
in Spec. quivalentia deprehendo, quæ faciunt & omninò pro Immacu-
Guerra lata Conceptione. Poſtquam enim S. Doctor aſſignaſſet ratio-
T. 1. nem, quare olim homo Angelis debuerit reverentiam exhibere;
Serran. jam vice verſâ Angelus B. Virgini reverentiam faciat, inquit:
lib. 2. *Non ergò decens erat, ut homini reverentiam exhiberet, quouſq; ali-*
Nieremb. *quis inveniretur in humana natura, qui in his tribus excederet An-*
cit. *gelos, & hæc fuit B. Virgo.* Et poſt paucula: *B. Virgo exceſſit*
Locus 71. *Angelos in ijs tribus: & primò in plenitudine gratiæ, quæ magis eſt*
D. Tho. *in Beata Virgine, quàm in aliquo Angelo, & ideò ad inſinuandum*
Opuſc. 8. *hoc Angelus ei reverentiam exhibuit dicens: Gratiâ plena. Quaſi*
Locus 72. *diceret: Ideò exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitu-*
Probatio *dine gratiæ.* Idem hîc argumentum eſt à gratia, quod à purita-
123. te. Nam ſi B. Virgo excellit Angelos in plenitudine gratiæ,
utique etiam ratione primæ gratiæ, in qua cùm Angeli creati
ſint, decens fuit, ut etiam B. Virginis anima crearetur. Sed pro-
Locus 73. grediamur ad textum: ſubdit D. Thomas: *Gratia DEI datur ad*
duo, ſcilicet ad bonum operandum, & ad vitandum malum, & *quan-*
tum ad iſta duo perfectiſſimam gratiam habuit B. Virgo. Nam ipſa
omne peccatum vitavit, magis quàm aliquis Sanctus poſt Chriſtum.

Hæc

Digitized by Google

Hæc profectò clarè favent Immaculatæ Conceptioni, quià perfectiſſima gratia ad vitandum malum non fuiſſet, ſi malum originalis maculæ non potuiſſet vitare. Deinde non poſſet dici vitaſſe omne peccatum ſimpliciter, ſicut hic loquitur S. Doctor, ſi non vitaſſet etiam originale. Tertiò non poſſet dici vitaſſe omne peccatum magis, quàm ullus Sanctus ſi contraxiſſet originale: quià vitando ſolum mortale, & veniale; alijs Sanctis ſolum par, non ſuperior fuiſſet. Reperti ſiquidem ſunt Sancti, qui ne venialiter quidem peccarunt ſaltem deliberatè. Et ut deeſſent Sancti eiuſmodi, numquid Innocentes immunes fuerunt ab omni actuali perſonali peccato etiam veniali? Vt igitur verum ſit DEIparam vitaſſe peccatum omne, magis, quàm ullus Sanctorum vitaverit, debuit etiam vitaſſe magis, quàm SS. Innocentes, ſed non potuit magis vitare, quàm iſti; niſi immunis conciperetur ab originali, ergò. Sequitur porrò in D. Thoma immediatè: *Peccatum enim aut eſt originale, & de iſto fuit mundata in utero: aut mortale, aut veniale, & de iſtis libera fuit.* Sententia hæc ſi in ſenſu Thomiſtarum quorundam accipi deberet, quaſi B. Virgo mundata fuiſſet à præinexiſtente peccato originali, ſuppoſititia, & per vim intruſa cenſeri deberet; quià nec cum præcedentibus cohæreret, nec cum conſequentibus. Paulò ante dixerat S. Thomas B. Virgo omne peccatum vitavit, hic verò diceret ſubſumendo: peccatum aliud eſt originale, aliud mortale, aliud veniale, & cum deberet inferre; ergò vitavit tàm originale, quàm mortale, & veniale: intuliſſet ſolùm ergò vitavit mortale, & veniale, non autem originale. Non cohæreret etiam cum ſequentibus; quæ enim ſequuntur, ab omni peccato, etiam ab originali DEIparam immunem pronuntiant.

Probatio 124.

Locus 74.

IV. Sunt autem hæc: *Vnde Canticorum 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Auguſtinus in libro de natura & gratia: Exceptâ Sancti Virgine MARIA, ſi omnes Sancti & Sanctæ, cùm hic viverent interrogati fuiſſent, utrùm ſine peccato eſſent, omnes unâ voce clamaſſent: ſi dixerimus, quià peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Exceptâ inquam hac Sanctâ Virgine, de qua propter honorem Domini, cum de peccatis agitur, nullam prorſus volo quæſtionem habere. Scimus enim, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad peccatum ex omni parte vincendum, quæ illum concipere, & parere meruit, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Hæc omnia ſuadent Innocentiam, & puritа-

Locus 75.

Probatio 125.

Digitized by Google

ritatem originalem DEIparæ; & ſunt ad intentum S. Thomæ. Intendit enim S. Doctor probare B. Virginem plenam gratiâ; digniorem, & excellentiorem Angelis; huic probando iſta, & præcedentia deſerviunt, non autem illa intermedia: *Peccatum enim aut eſt originale &c.* ac proinde clarè conſtat illa intermedia eſſe adulterina, & partum ſuppoſititium. Pari modo adulterina eſt illa aſſutura ſequens in textu: *ſed Chriſtus excellit Beatam Virginem in hoc, quod ſine originali conceptus & natus eſt, Beata autem Virgo in originali eſt concepta, ſed non nata.* Hæc non faciūt ad propoſitum, quia nec ante nec poſt ullam comparationem facit S. Thomas inter Chriſtum & B. Virginem, ſed inter Angelos, & B. Virginem: ac proinde illud aſſumentum eſt alieni calami. Deinde falſum eſt quod in hoc Chriſtus excellat B. Virginem *quod ſine originali conceptus & natus eſt*, prout ſimpliciter & nudè accepta verba ſonant, quia aliàs aſſertio contra Tridentinum, quod B. Virginem excipit ab originali peccato in Conceptione: Sed in hac Chriſtus excellit B. Virginem, quòd ipſe per naturam & ex vi Conceptionis ſuæ ſine originali Conceptus ſit; B. Virgo autem ex vi ſolùm Privilegij Concepta eſt ſine originali. Vnde patet manifeſte illa verba addita, & aſſuta eſſe ab aliquo, cui doluit, quòd legeret toties in Divo Thoma confirmatam DEIparæ Innocentiam originalem. Quanquam etiam ſic adulterata ſenſum habere poſſunt piæ faventem ſententiæ, ut conſtat ex alibi dictis, & dicendis.

V. Accedamus nunc in eodem Opuſculo ad locum illum, qui vitiatus eſt, ac adulteratus; & ex ipſo cōtextu apparebit adulteratio. Ait igitur ſub finem D. Thomas: *Tertiò excedit Angelos quantum ad puritatem, quia B. Virgo non ſolùm erat pura in ſe, ſed etiam procuravit puritatem alijs. Ipſa enim puriſſima fuit, & quantum ad culpam; quia ipſa Virgo nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. Item quantum ad pœnam. Tres enim maledictiones datæ ſunt hominibus propter peccatum. Prima data eſt mulieri, ſcilicet, quòd cum corruptione conciperet, cum gravamine portaret, & in dolore pareret. Sed ab hac immunis fuit B. Virgo, quia ſine corruptione concepit, in ſolatio portavit, & in gaudio peperit. &c. Secunda data eſt homini, ſcilicet, quòd in ſudore vultus veſceretur pane ſuo. Ab hac immunis fuit B. Virgo. Tertia fuit communis viris, & mulieribus; ſcilicet ut in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit B. Virgo. &c. Sic igitur immunis fuit ab omni maledictione, & ideò benedicta in mulieribus.* Ecce locum,

Locus 76.

Probatio 126.

prout

prout hodie legitur in novis Editionibus, ſed quis non apertè vitiatum videt, ſi conferat extrema cum medio. Dicit S. Thomas abſolutè: *Ipſa puriſſima fuit quantum ad culpam:* licet craſa ſit vox *Omnem*, nihilominùs propoſitio eſt univerſalis, & ſupponit pro omni culpa: ergò ad mentem S. Thomæ, pura fuit etiam quantum ad culpam originalem, quià etiam eſt culpa, & quidem mortalis. Cur ergo deletum eſt illud *nec originale?* ſi non fuit pura ab originali, quomodo fuit puriſſima quantum ad culpam? 2. Dicit S. Thomas *puriſſima fuit quantum ad culpam, & quantum ad pœnam.* ergò ſicuti ab omni pœna libera, ità ab omni culpa; ſicuti à triplici pœna, ita à triplici culpa: quod ſine dubio S. Doctor expreſſerat, quià hunc morem habet, quòd æqualiter dividat antitheſes in paria membra, quantum fieri poteſt; verùm aliquis piæ ſententiæ minùs propitius, liturâ factâ ſe minus oſtendit literatum, dum eradendo *nec originale* fecit S. Doctorem minùs conſequenter loqui. 3. Cùm pœna ſit effectus culpæ videtur S. Doctor illam potiſſimum culpam intelligere dicendo: *puriſſima fuit quantum ad culpam,* ex qua triplex illa pœna ceu effectus profluxit: atqui certum eſt triplicem illam pœnam, quam enumerat profluxiſſe ex peccato originali, ergò dicendo *puriſſima fuit quantum ad culpam,* potiſſimum, & principaliter intellexit culpam originalem. Et ſi agnovit DEIparam immunem ab effectu, utiq; & à cauſa. Ex quibus liquidò conſtat, quòd ſi Opuſculum octavum vitiatum non fuiſſet, plurima evidentiſſima teſtimonia haberemus, de mente S. Thomæ, & & ſententiam diſertè latam pro Innocentia Originali DEIparæ: cùm etiam vitiatum, & adulteratum, tot & tam eximia ſuppeditet argumenta.

Probatio 127.

Probatio 128.

§. XXIX.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe Originali Conceptam, Ex eodem Tomo XVII. Operum.

Locus 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83.

I. Locus

D. Th. Opuſc. 57. art. 1. Locus 77.

I. LOcus Septuageſimus ſeptimus, eſt in Opuſculo LVII. art. 1. de Humanitate Chriſti, ubi agens S. Doctor de Salutatione Angelica, liberam pronuntiat DEIparam à triplici Væ. *Quod autem ingreſſus (Angelus) dixit Ave, quod ſonat ſine væ, hoc ſignificat quòd per fluxum gratiæ liberatur anima ab omni væ. Eſt autem triplex væ, quod per peccatum incurrit homo, videlicet væ culpæ, pœnæ & miſeriæ. &c.* Hanc vocis Ave

Probatio 129. interpretationem S. Doctor haud dubiè hauſit à Præceptore ſuo

B. A. b. M. ſup. Miſſus eſt. c. 59. B. Alberto Magno, cujus verba ut verum S. Thomæ ſenſum illuſtrent operæ pretium eſt hic apponere: *Ex peccato ſecutum fuit triplex væ in coniunctis, væ culpæ, væ pœnæ, væ ignorantiæ. Væ culpæ eſt triplex; ſcilicet originalis, actualis mortalis, venialis.* Et concludit poſtea: *ſine omni iſto væ triplici fuit Beatiſſima Virgo.* Non putem diſcipulum hoc in puncto diſcrepaſſe à ſuo Magiſtro, ut proinde non quæram aliam interpretationem verborum S. Doctoris. Si Virgo fuit ſine triplici illo væ, fuit utique ſine væ culpæ originalis

D. Tho. Opuſc. 57. art. 3. Locus 78.

II. Locus Septuageſimus octavus pluribus æquivalens eſt in eodem Opuſculo art. 3. in quo repetit S. Doctor, quæ alibi ſparſim dixit de Sanctificatione DEIparæ, *De primo, ſcilicet Matris ſanctificatione poteſt dici illud Pſ. 86. ſanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus. Vnde Bern. Quod alijs Sanctis legimus conceſſum eſſe, fas non eſt dicere, tantæ Virgini eſſe negatum; ſed ſanctificationis beneficium legimus eſſe conceſſum Hieremiæ, ut patet Hier. 1. &c. ergò non eſt fas dicere hoc negatum fuiſſe tantæ Virgini, quæ peperit nobis Chriſtum plenum gratiâ, & veritate.* Io. 1. Ne autem videretur ſolùm talem ſanctificationem Virgini attribuere, qualem Ieremiæ, & Ioanni Baptiſtæ; ſubdit: *Et quia creditur præ alijs privilegium gratiæ accepiſſe, ſecundùm quod dictum eſt ei ab*

Probatio 130. *Angelo Lucæ 1. Ave gratiâ plena.* quomodo præ alijs accepiſſet Privilegium, ſi in primo inſtanti animationis libera non fuiſſet ab originali? Quæ ſequuntur ſimiliter favent piæ Sententiæ.

Locus 79. *Sciendum quod triplex eſt effectus huius Sanctificationis. Primus eſt culpæ originalis expiatio, quia ſanctificatio eſt motus ad ſanctitatem. Sanctitas autem, ut dicit Dion. 7. cap. de di. no. eſt ab omni immunditia, libera, & perfecta, & omnino immaculata munditia.* Ex hac Sanctitatis deſcriptione ſatis poteſt intelligi, quo ſenſu S. Doctor paulò poſt dicat: *Hæc autem ſanctificatio non poteſt intelligi ante animationem &c. & ſi Concepta B. Virgo quocunq; modo ante animationem ſanctificata fuiſſet, non incurriſſet maculam culpæ ori-*

originalis ; & ſic non indiguiſſet redemptione , & ſalute, quæ per Chriſtum facta eſt &c. per maculam culpæ originalis intelligit ſolùm debitum contrahendi culpam originalem, ideò dixit etiam paulò ante : *Ante infuſionem animæ proles concepta non eſt culpæ obuoxia.* ergò ſupponit poſt infuſionem animæ culpæ obnoxiam, id eſt habentem debitum contrahendi culpam, non autem *Probatio 131.*
actu culpâ infectam. Pergit verò : *Relinquitur ergò, quòd Sanctificatio MARIÆ fuerit poſt eius animationem , in cuius figura dicitur Exodi ult. Poſtquam cuncta perfecta ſunt : operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & gloria Domini implevit illud.* ly poſt animationem intellige poſterioritate naturæ , non tempor.s , uti ſæpiùs monui, ubi hæc eadem ſancti Doctoris verba ponderavi. *Locus 80.*
Sequitur : *Vnde licet ſit conſuetudo aliquarum Eccleſiarum celebrare feſtum Conceptionis eius , per hoc non datur intelligi , quòd eius Conceptio fuerit ſancta ; ſed quià , quo tempore fuerit ſanctificata ignoratur, celebratur feſtum Sanctificationis eius potiùs , in die Conceptionis ipſius.* Nihil hoc piæ opinioni adverſatur , nam uti *Locus 81.*
conſtat ex præſciendis, S. Thomas vocem Conceptio non aliter uſurpat, quàm pro Conceptione materiali ſiue ſeminali, quæ ſine dubio ſancta non fuit , propriè loquendo, quià tunc necdum fuit ſubjectum gratiæ capax. quod uerò addit : *quo tempore fuerit ſanctificata ignoratur.* hoc etiam inſinuat puritatem originalem Virginis, quia inſtans animationis ignoratur , quo animam ejus ſanctam creatam ſupponit. Hæc igitur , quæ hactenus retulimus omnia fauent Immaculatæ Conceptioni : quæ uerò mox ſequuntur , eam clarè adſtruunt ; ait enim S. Doctor : *Probatio 132.*
Secundus effectus à peccato præſervatio : unde Bern. Ego puto, quòd copioſior ſanctificationis benedictio in eam , quàm in alios Sanctos ab utero ſanctificatos deſcenderit , quæ non ſolùm ipſius ortum ſanctificavit , verùm etiam deinceps vitam eius ab omni peccato immunem conſervavit. Auguſti. Si omnes Sancti , & Sanctæ, dum adhuc viverent, interrogati fuiſſent, utrùm ſine peccato eſſent, omnes reſpondiſſent unâ voce : Si dixerimus quòd peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus , veritas in nobis non eſt ; exceptâ hac ſacrâ Virgine , de qua propter honorem Chriſti nullam prorſus volo fieri mentionem,cùm de peccatis agitur. Vnde ſcimus, quòd plus gratiæ ei collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum ; quæ illum concipere, & parere meruit, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Non enim fuiſſet idonea Mater Chriſti ſi aliquando peccaſſet ; tùm quia honor parentum redundat in prolem, ſecundùm illud Prov. 18. Gloria filio- *Locus 82.*

rum parentes eorum ; unde & per oppoſitum ignominia Matris ad Filium redundaſſet : tùm etiam, quià ſingularem affinitatem habuit ad Chriſtum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem. 1. ad Cor. 5. Quæ conventio Chriſti ad Belial? tùm etiam quià Chriſtus, qui eſt Sapientia Patris, ſingulari modo habitavit non ſolùm in eius anima, ſed etiam in eius utero. Dicitur autem Sap. 1. In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Et ideò ſimpliciter fatendum eſt, quòd B. Virgo nullum peccatum actuale commiſit, nec mortale nec veniale, ut ſic impleatur quod dicitur Cant. 4. Tota pulchra es amica mea. &c. Advertat lector, quòd S. Thomas primum effectum Sanctificationis in Virgine

Probatio 133.

poſuerit ab originali expiationem, id eſt remotionem impedimenti gratiæ; non quòd tale impedimentum, uti eſt peccatum originale, fuerit in inſtanti infuſionis animæ in Virgine, ſed quòd poſt primum inſtans naturæ, in primo tamen inſtanti temporis ſervata ſit anima ne originali peccato macularetur, quo ex vi generationis maculari debuiſſet; ac proinde non admiſſum eſt potiùs impedimentum gratiæ, quàm repulſum, aut remotum. Aptè igitur ſecundum effectum eiuſdem ſanctificationis ponit præſervationem à peccatis, idq; velut ante gratiæ infuſionem, quià gratiæ infuſionem pro tertio effectu ponit: ut poſſit intelligi univerſaliter præſervatio ab omni peccato etiam originali. Quo refertur & illud ex S. Bernardo: *Puto quòd copioſior ſanctificationis benedictio in eam, quàm in alios Sanctos ab utero ſanctificatos deſcenderit, quæ non ſolùm ipſius ortum ſanctificavit; verum etiam deinceps vitam eius ab omni peccato immunem conſervavit.*

S. Bern. in Ep. ad Lugdun.
Probatio 134.

Cùm dicit *ortum ſanctificavit* non alium ortum intelligit, quàm animationem in utero, quià de hoc eſt ſtatus quæſtionis, non de ortu ex utero ſeu Nativitate: ſi ergò copioſior benedictio in eam deſcendit, quàm in alios Sanctos, talis fuit benedictio in ipſo ortu, qualis pro reliqua deinceps vita, pariformiter enim de utraq; loquitur D. Bernardus, & ex eo D. Thomas, ſed benedictio pro reliqua vita fuit quòd *ab omni peccato immunis* conſervata ſit, ergò etiam benedictio in ortu ſeu in animatione fuit *quòd ab omni peccato immunis* præſervata ſit. Cætera abunde ſuperioribus §§. ponderavimus, ut hic illa repetere ſuperfluum videatur.

D. Tho. Opuſc. 61. gradu 10. Locus 83.

III. Locus Octogeſimus tertius eſt in Opuſculo 61. de decem gradibus Charitatis. Gradu decimo: ubi S. Doctor DEIparam præfert Angelis, & ait: *Gradus ergò decimus, in quo amor facit*

facit aſſimilari totaliter ultrà Seraphim, eſt qui tam ſimilatur excellenter, utpote quibus in ſummo convenit Angeli definitio, quam ponit Dionyſius. Angelus eſt imago DEI, manifeſtatio occulti luminis, ſpeculum clarum, clariſſimum, immaculatum, incoinquinatum, incontaminatum;totam, ſi conveniens eſt dicere ſuſcipiens in ſe pulchritudinem omniformis DEIformitatis,mundè reſplendere faciens in ſe bonitatem ſilentij. Fecit ergo ſummus artifex in oſtentationem pleniorem artis ſuæ,Speculum unum clariſſimo clarius, Seraphim terſius, & purius, & tantæ puritatis,ut purius intelligi non poſſet, niſi DEVS eſſet; perſonam ſcilicet glorioſiſſimæ Virginis. de quo Anſelmus. Decebat,ut illius Conceptio hominis de Matre puriſſima fieret,eâ puritate qua maior ſub DEO nequit intelligi.De huius ſpeculi formatione Bernardus : Hanc Domine feciſti imaginem bonitatis tuæ, in ea valdè artifex oſtendens magiſterium pietatis tuæ. &c. Quid hiſce exaggerationibus addi poſſit non video. Summa puritas, quâ major intelligi non poſſit, eſt tanta diſtantia & receſſus à culpa ut maior intelligi non poſſit ; excedens ipſos Seraphim, qui ſunt ſpecula clariſſima, immaculata, incoinquinata, incontaminata, &c. ſed talis puritas eſt nullo unquam infectam fuiſſe peccato, ne quidem originali; quia hæc maxima eſt, quæ intelligi poteſt, & qua maior ſub DEO intelligi non poteſt. Ergò talis puritas fuit in B. Virgine; puritas ab omni macula peccati originalis, & cuiuſcunq; perſonalis; ſicuti puritas Seraphinorum eſt puritas ab omnis peccati nævo immunis; quibus tamen, ex Sententia D. Thomæ, purior eſt B. Virgo, ut *purior intelligi non poſſet, niſi DEVS eſſet.* Libet autem annectere hic vim verborum, quibus utitur D. Thomas, cùm vocat DEIparam ſpeculum purius, quàm Seraphim, qui ſunt ſpecula *incontaminata, immaculata.* Alibi enim ſe explicat, illa verba expendens 1. Pet. 1. *quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati.* ubi ait : *Dicitur quaſi agnus ratione innocentiæ, & ratione clementiæ,& immunitatis ab omni peccato.* Incontaminati, *id eſt ſine omni peccato actuali, veniali, & mortali :* Immaculati, *id eſt ab originali. &c.* Si hæc ergò vis verborum iſtorum eſt, facilè intelligi poterit comparatio B. Virginis cum Seraphim ſpeculis incontaminatis, immaculatis.

Probatio 135.

D. Tho. Comm. in Ep. 1. Pet. c. 1.

§. XXX.

D. Thomas docuit B. Virginem ſine labe originali Conceptam. Ex eodem Tomo XVII. Operum.

Locus 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92

D. Tho. in 1. diſt. 44. q. un. art. 2. ad Annibald. Locus 84.

I. Congeramus hic nonnulla etiam ex Scripto II. in Sententias ad Annibaldum Cardinalem. Locus quartus & Octogeſimus eſt in 1. diſt. 44. q. un. a. 2. ubi S. Doctor quærit: *An DEVS poſſit facere aliquid melius qualibet re.* & cùm ſibi obiecisſet; *Quantò aliquid eſt purius, tantò eſt melius. Sed Anſelmus dicit in lib. de Conc. Virg. quòd decuit ut B. Virgo eâ puritate niteret, quâ maior ſub DEO nequit intelligi, ergò DEVS non poteſt facere ea aliquid melius.* Deinde ſatisfacit obiectioni: *Dicendum, quòd purius dicitur aliquid per receſſum à termino, melius per acceſſum ad terminum. Illud ergò quod omninò recedit ab impuritate culpæ, eſt ità purum, quòd nihil poteſt eſſe eo purius: non tamen ſequitur, quòd non poſſit eo aliquid eſſe melius. &c* Vbi clarè S. Doctor ſupponit B. Virginem receſſiſſe ab omni culpæ impuritate, ut magis recedere non poſſet, ergò & ab impuritate culpæ originalis, quià aliàs ſi hanc incurriſſet, dici poſſet, quod potuerit magis recedere ab impuritate, uti non ſemel alibi notavi. Deinde cùm non contradicat argumento deſumpto ex S. Anſelmo, ſequitur ad mentem S. Doctoris, quòd DEVS non potuerit Virginem puriorem efficere, licet potuerit meliorem.

Probatio 136.

D. Tho. ad Annib. in 2. d. 31. q. un. a. 4. Locus 85.

II. Locus Octogeſimus quintus eſt in eodem ſcripto. in 2. diſt. 31. q. un. a. 4. ubi ait; *Pœna peccati originalis eſt directè neceſſitas moriendi: omnis tamen neceſſitas creaturæ ſubeſt divino arbitrio; unde poteſt eos, qui neceſſitatem moriendi habent, à mortis corruptione liberare.* Revocetur in memoriam, quod ſupra dixi §. 9. de neceſſitate contrahendi peccatum originale ad mentem S. Thomæ, & conferatur cum hac doctrina: puto quod argumentum

mentum in legitima forma locari poterit hoc modo: ſecundùm
S. Thomam *neceſſarium eſt omnes, qui ex Adam generantur per viā* D. Tho. in
coitus, peccatum originale trahere. Sed etiam ſecundùm S. Tho- 2. d. 31.
mam *omnis neceſſitas creaturæ ſubeſt divino arbitrio*, ergò neceſſi- q. 1. a. 2.
tas trahendi peccatum originale ſubeſt divino arbitrio. Sub- Idem hic
ſumo: atqui neceſſitas creaturæ omnis ità ſubeſt divino arbi- ad Annib.
trio, ut DEVS creaturam liberam pronuntiare poſſit à tali ne- Probatio
ceſſitate, ſicuti hoc loco in terminis docet S. Thomas de neceſ- 137.
ſitate moriendi, contrà quam DEVS facere poteſt, ut aliquis
mortalis non moriatur: ergò neceſſitas hominum trahendi
peccatum originale per generationem ex Adam ità ſubeſt divi-
no arbitrio, ut DEVS aliquem poſſit ab hac neceſſitate eximere,
& liberum pronuntiare; ergò ſecundum S. Thomam non
obſtante communi lege, & neceſſitate, qua omnis homo pro-
cedens viā generationis ex Adam, contrahere debet originale
peccatum, eximi à DEO potuit B. Virgo, & libera pronuntiari
ab executione illius neceſſitatis, quod ſatis eſt in favorem Im-
maculatæ Conceptionis, quià hinc intelliguntur ea, quæ alicubi
S. Doctor pro contraria Sententia locutus fuiſſe videtur: & ma-
ximè locutiones generales. Et quidem in hoc ipſo articulo vi-
detur hanc ſuam mentem explicare S. Doctor quià dicit: *Omnes,*
qui in Adam fuerunt ſecundùm ſeminalem rationem, in Adam peccato
originali tenentur obnoxij. Non dicit in Adam actualiter infici-
untur peccato originali, ſed tenentur obnoxij, id eſt habent ne-
ceſſitatem, & debitum contrahendi peccatum originale, quo
ſenſu D. Thomas hanc vocem *obnoxius* etiam alibi adhibuit, ubi
dixit: *Dicendum quod caro Chriſti dicitur fuiſſe in antiquis Patribus* D. Tho.
peccato obnoxia ſecundum qualitatem quam habuit in ſuis parenti- 3. p. q. 31.
bus. &c. In eodem ſenſu hanc vocem uſurpavit Caietanus de a. 8.
hac eadem materia loquens: *Dicitur namque captivus non ſolùm,* Caiet. Tr.
qui totaliter in captivitatem eſt redactus: ſed qui cœpit in ſui aliqua de Conc.
parte duci in captivitatem, & obnoxius eſt captivitati. Et ſimiliter c. 3.
dicitur mors peccati, non ſolùm ipſa actualis mors, ſed debitum &
initium in propria perſona habendi illam &c. Similia habet etiam
alibi: *Si enim peccatum originale vel in actu, vel in neceſſitate ha-* Idem in 1.
bendi illud, quis non incurreret, non egeret redemptione &c. ſed ſi 2. q. 81.
omnes obnoxij ſunt peccato originali, ſufficit ad indigentiam redem- a. 3.
ptionis. Neq; enim ſolum redemptione eget actualiter captivus, ſed
etiam obnoxius captivitati. Et hæc benè notabis tu Thomiſta. quæ
ab adverſarijs deprompta, vim addunt explicationi noſtræ.

D. Tho. in 3. d. 3. q. un. a. 1. ad Annib. Locus 86. Probatio 138.

III. Locus Octogeſimus ſextus eſt in 3. diſt. 3. quæſt. un. art. 1. ejuſdem ſcripti: *Sanctificata creditur poſt animæ infuſionem, quià hoc alijs ſanctis eſt collatum. Et ideò Matri Sapientiæ maximè decuit hoc conferri, in quam nihil coinquinatum incurrit, ut dicitur Sap.* 7. Abſtrahendo à poſterioritate naturæ & temporis, cenſendus eſt ſupponere pro favorabiliori; ergò ſanctificata eſt B. Virgo ſecundùm D. Thomam poſt primum inſtans naturæ in ipſa animæ infuſione Vnde etiam extollendo eam præ cæteris Sanctis, dicit: *Matri Sapientiæ maximè decuit hoc conferri.* & deinde univerſaliter omnem maculam ab ea proſcribit; *in quam nihil coinquinatum incurrit.* Quod in hoc loco præmiſit videtur primâ fronte piæ ſententiæ contrariari, ſed favere oſtendam paulò poſt. Sequitur in eodem articulo. *Dicendum quòd quamvis ſanctificatio Virginis in utero expreſſa non legatur in ſcripturis veteris & novi teſtamenti; tamen haberi poteſt ex his, quæ ibi leguntur: quià ſi ſanctificati ſunt & Ioannes & Hieremias, qui Chriſtum prænuntiaverunt; multo magis creditur ſanctificata Virgo, quæ Chriſtum genuit.* Hæc jam ſuprà expenſa, & coincidunt cum modò dictis: novis tamen probationibus deſerviunt, quià repetita.

Locus 87.

Probatio 139.

IV. Octogeſimus octavus locus eſt ibidem art. 2. ubi quærit S. Doctor an B. Virgo per ſanctificationem in utero fuerit à fomite liberata: & cùm adduxiſſet pro negativa argumentum: *Videtur quòd per eam* (ſcilicet ſanctificationem) *immunitatem à peccato conſecuta non fuerit. Ambroſius enim dicit ſuper illud Spiritus Sanctus ſuperveniet in te. Superveniens Spiritus Sanctus in Virginem, mentem eius ab omni ſorde caſtificavit vitiorum. &c.* Reſpondet deinde: *Dicendum eſt, quòd caſtificatio à ſordibus vitiorum non intelligitur remotio exiſtentium, ſed impedimentum futurorum.* Hæc in litera de tempore quidem Incarnationis FilijDEI dicuntur, ſed æquè faciunt pro Conceptione paſſiva DEIparæ. Nam ſicuti caſtificatio non eſt remotio exiſtentium ſed impedimentum futurorum; ità purgatio, mundatio, ſanctificatio ab originali peccato (quibus vocibus utitur S. Thomas) intelligi poteſt, ac debet, non remotio exiſtentis peccati originalis, ſed impedimentum contrahendi ex vi legis ordinariæ. Neq; prætereundum, quod hoc in articulo ſubnectit S. Doctor: *Dicendum, quòd in ipſa prima ſanctificatione conſecuta eſt immunitatem à peccato.* quid per hanc vocem *immunitas* intelligat, explicuit ſe in alio

Locus 88.

Probatio 140.

Locus 89.

Digitized by Google

alio loco, ubi ſic habet loquens de Chriſto: *Et peccatum in eo non eſt, nec originale, nec actuale mortale, vel veniale. 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit &c. Et verè iſte eſt immunis ab omni peccato.* Immunem igitur eſſe à peccato, eſt nec originale, nec mortale actuale, nec veniale peccatum unquam habuiſſe vel habere. *D. Tho. in Ep. 1. B. Ioan. c. 3.*

V. Locus nonageſimus eſt in eodem 3. diſt. 4. q. un. a. 4. ad 3. ubi ait: *quòd B. Virgo non meruit Incarnationem, niſi ſuppoſitâ Incarnatione faciendâ: & ſic meruit ut per eam fieret, non quidem merito condigni, ſed congrui, in quantum decebat, quòd DEI Mater eâ puritate niteret, quâ maior ſub DEO nequit intelligi.* Hoc idem aſſeruerat in Primo ſuo Scripto: *in quantum decebat quòd Mater DEI eſſet puriſſima, & perfectiſſima Virgo*: in ſumma etiam ſic loquitur: *Beata Virgo dicitur meruiſſe portare Dominum omnium: non quia meruerit ipſum incarnari, ſed quia meruit ex gratia ſibi data, illum puritatis & ſanctitatis gradum, ut congruè poſſet eſſe Mater DEI.* Vis argumenti eſt in eo, quòd D. Thomas attribuat B. Virgini omnem excellentiam poſſibilem, adeoq; & illud prædicatum, quòd meruerit Incarnationem Chriſti de congruo. Hoc autem non faceret, ſi non ſupponeret Matrem DEI tàm puram, tàm perfectam fuiſſe; ut nihil perfectionis poſſibilis, & puritatis ei deeſſet, nihil imperfectionis, aut impuritatis in eam caderet. Cùm verò poſſibilis ſit talis perfectio, & puritas, quâ immunis ſit ab originali maculâ, ratione cujus perfectionis meritò vocari poſſit *puriſſima, & perfectiſſima Virgo*, cenſendus eſt S. Doctor hanc illi perfectionem hoc loco attribuiſſe. Cœterùm verba D. Anſelmi de puritate Virginis *quâ maior ſub DEO nequit intelligi*, ſæpius jam expenſa ſunt, & aliter expendi non poſſunt in rigore, quàm de omnimoda Virginis Innocentia, & puritate originali. *D. Tho. in 3. d. 4. q. un. a. 4. ad 3. ad Annib. Locus 90. D. Tho. in 3. d. 4. q. 3. a. 1. ad 6. 3. p. q. 2. a. 11. ad 3. Locus 91. Probatio 141.*

VI. Locus Nonageſimus ſecundus, ut multos alios prætermittam, eſt in Expoſitione Apocalypſeos, quam Anno 1562. Venetijs è vetuſtis Codicibus edidit Fr. Remigius Florentinus, Ord. Prædicatorum; Morelles tamen eam non recenſuit inter Opera S. Thomæ, licet integrum Tomum abiecerit prioribus editionibus: fortè ad ejus manus non pervenit editio Remigij, cùm hic in Italia impreſſerit, ille in Germania Inferiore collegerit Opera D. Thomæ. In hac igitur Expoſitione ait S. Thomas: *Mulier amicta Sole MARIA, propter peccati omnimodam immunitatem: unde Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula* *D. Tho. in Exp. Apoc. c. 12. Locus 92.*

Probatio 142. *non eſt in te.* Clariſſimum pro Immaculata Conceptione teſtimonium; ſi ſupponatur, prout ſupponi debet, quòd S. Thomas per omnimodam immunitatem, omnis peccati tàm perſonalis, quàm originalis carentiam intelligat. Et omninò ſic intelligere ſupponendus eſt, ne admittantur in eo locutiones æquivocæ, uti ſupra §. 8. n. 3. ex Fr. Gaſpare Catalan obſervavi; & cùm alijs in locis expreſsè per immunitatem à peccato, etiam ab originali immunitatem adſtruat, ut paulò ante vidimus n. 4. hujus §. non eſt aliter hic explicandus, præſertim cùm addat vocem *Omnimodam*, quæ omnem limitationem, & exceptionem excludit.

§. XXXI.

Aliquot alia loca D. Thomæ pro Immaculata DEIparæ Conceptione.

Locus 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

1. QVæ hactenus allata ſunt teſtimonia Doctoris Angelici pro Innocentia Virginis originali, ſervato Operum ordine ſuperabundanter probant S. Doctorem nobiſcum ſenſiſſe. Vt tamen numerum centenarium impleamus, libet hic promiſcuè aliquot annectere, quibus ſimilia in præcedentibus paragraphis adducta ſunt. Cæterùm accuratus Lector in Operibus D. Thomæ totidem fortè adhuc, & plura poterit deprehendere; non minùs faventia Immaculatæ Conceptioni, quàm iſta. Nos enim ſolùm intendimus oſtendere, quòd S. Doctor piæ ſententiæ ſubſcripſerit; cui intentioni perluſtratis obiter ejus Tomis hactenus abundè putamus ſatisfactum: unde, quæ hic adijcimus lectæ lectionis inſtar placere cupimus. Et

D. Tho. 3. p. q. 14. a. 3. Locus 93. primò quidem huc facit locus ille ex 3. parte Summæ q. 14. ubi quærit S. Doctor: *Vtrùm Chriſtus defectus corporales contraxerit.* Et reſpondet in corpore articuli: *Dicendum, quòd in verbo contrahendi, intelligitur ordo effectus ad cauſam, ut ſcilicet illud dicatur contrahi, quod ſimul cum ſua cauſa ex neceſſitate trahitur. &c. Et ideò illi propriè dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati hos defectus incurrunt. Chriſtus autem hos defectus non habuit*

ex

ex debito peccati. &c. Accepit enim naturam humanam abſque peccato, in illa puritate, in qua erat in ſtatu innocentiæ &c. ſic igitur patet, quòd Chriſtus non contraxit hos defectus, quaſi ex debito peccati eos ſuſcipiens, ſed ex propria voluntate. Inſignis profectò locus, ex quo non ſolùm oſtenditur (uti ſup. diſcurrebamus) quòd S. Thomas agnoverit debitum peccati in poſteris Adæ; verùm etiam quomodo intelligi debeat, quando dicit: B. Virgo contraxit originale, vel *habuit originale contractum,* quià hoc ſonat ſolùm habuiſſe debitum; hoc enim *ex neceſſitate trahitur.* Quod quidem meliùs explicat in Reſponſione ad 1. prædicti articuli: *Ad primum ergò dicendum, quòd caro Virginis concepta fuit in originali peccato, & ideò hos defectus contraxit.* Dicit *Caro Virginis*, ut denotet Conceptionem ſeminalem, in qua remotum illud debitum (juxtà quoſdam) incurrendi peccatum originale in Conceptione formali, & defectus exinde provenientes, morbos, mortem &c. contraxit: Hinc jam cœtera loca, in quibus adſtruit *B. Virgo fuit in originali concepta*, lucem accipiunt, & non aliter intelligenda ſunt, quàm quòd in conceptione ſeminali contraxerit debitum peccati originalis, quòd caro eius infecta fuerit ſicut cœterorum hominum ſeminaliter deſcendentium ab Adam, non verò anima. Colligitur etiam diſparitas puritatis in Virgine, & in Chriſto: quià *Chriſtus non contraxit defectus, quaſi ex debito peccati eos ſuſcipiens.* B. Virgo autem *hos defectus contraxit*, quià *Caro Virginis concepta fuit in originali.* Id eſt habuit in ipſa ſeminali Conceptione debitum contrahendi originalis peccati: licet anima ejus à tali contractione præſervata fuerit.

Probatio 143.

D. Tho. in Pſ. 13.

II. In eadem 3. p. quærit S. Doctor: *Vtrùm per ſanctificationem fuerit B. Virgini fomes totaliter ſublatus.* Et reſpondet ſecundùm duplicem ſententiam, utramq; reputans probabilem; *quòd vel totaliter fomes fuerit ab ea ſublatus per primam ſanctificationem, vel quòd remanſerit ligatus. Poſſet enim intelligi, quòd totaliter fuerit ſublatus fomes hoc modo, quòd præſtitum fuerit B. Virgini, ex abundantia gratiæ deſcendentis in ipſam, ut talis eſſet diſpoſitio virium animæ in ipſa. quòd inferiores vires nunquam moverentur ſine arbitrio rationis, ſicut dictum eſt fuiſſe in Chriſto, quem conſtat peccati fomitem non habuiſſe, & ſicut fuit in Adam ante peccatum per originalem iuſtitiam; ità quòd quantum ad hoc gratia ſanctificationis in Virgine habuit vim originalis iuſtitiæ.* Nolo hic pro Innocentia Virginis adducere *abundantiam gratiæ deſcendentis in ipſam,*

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 3. Locus 94.

Probatio 144.

Digitized by Google

uti ait S. Thomas; de qua non ſemel ſup. egi: ſed obſervo ſolum comparationem ſanctificationis B. Virginis cum iuſtitia originali. Cùm ergò dicat S. Thomas B. Virginem ità ſanctificatam in utero, ut illa ſanctificatio haberet vim iuſtitiæ originalis, ſupponit animam Virginis ità creatam, ſicut fuit anima Adæ ante peccatum. Nam ſi ante ſanctificationem, vel per unum inſtans anima Virginis fuiſſet infecta originali peccato, iam comparatio S. Doctoris non ſubſiſteret; nec eſſet verum dicere: per ſanctificationem, B. Virgo eſt tàm Sancta, quàm fuit Adam ante peccatum, quod tamen importat ſanctificatio habens vim iuſtitiæ originalis. Neq; recurras ad effectus originalis iuſtitiæ, qui ſunt continere vires inferiores ſub arbitrio ſuperiorum, corpus ſubijcere animæ &c. quaſi hoc ſolùm (ad mentem Angelici Doctoris) B. Virgini in ſanctificatione fuiſſet collatum; non autem etiam innocentia originalis, quam juſtitia originalis in Adamo præſupponebat. Nam non facit S. Doctor ſimpliciter comparationem ſanctificationis cum juſtitia originali; ſed duorum ſubjectorum, unius ſanctificati, alterius juſti originaliter; ergo ut vim habeat comparatio, debet verificari, quòd B. Virgo in ſua ſanctificatione tàm fuerit juſta originaliter, quàm Adam ante peccatum; ſed Adam ante peccatum fuit juſtus originaliter, ut ſimul eſſet innocens originaliter, ergò & B. Virgo. Conſequenter videtur S. Thomas hic ſupponere DEIparam in ipſo animationis inſtanti ſanctificatam, & donatam non tantùm juſtitiâ, ſed & innocentiâ originali: alioqui ſi primo inſtanti fuiſſet abſq; Innocentia originali, non foret comparatio (ad mentem Doctoris Angelici) Virginis cum Adamo.

D. Tho. III. Ibidem iterum q. ead. art. 6. quærit S. Doctor: *Vtrùm*
3. p. q. 27. *ſic ſanctificari fuerit proprium B. Virgini*, & cùm ſtatuiſſet, etiam
a. 6. ad 1. alios ſanctificatos in utero Ioannem Baptiſtam, & Ieremiam,
Locus 95. reſpondet ad primam objectionem: *Dicendum quòd B. Virgo, quæ fuit à DEO electa in Matrem, ampliorem ſanctificationis gratiam obtinuit, quàm Ioannes Baptiſta, & Ieremias, qui ſunt electi ut ſpeciales præfiguratores ſanctificationis Chriſti.* Obiecerat autem ſibi in primo argumento: *propter hoc B. Virgo fuit ſanctificata in*
Probatio *utero, ut redderetur idonea ad hoc, ut eſſet Mater DEI: ſed hoc eſt*
proprium ſibi: ergò ſola ipſa fuit ſanctificata in utero. Argumen-
145. tum à maternitate Virginis deſumptum, non ſemel jam expenſum eſt: *hic ampliorem ſanctificationis gratiam* conſidero. Ampliari

pliari aliquid dicitur extendi; unde amplior gratia, eſt gratia major extenſivè: ac conſequenter ſi B. Virgo ampliorem in utero gratiam eſt conſecuta, quàm Ioannes, & Ieremias, extenſa eſt gratia ipſius ad prioritatem temporis, ergò ad prioritatem ipſius animationis: cùm fiat comparatio quoad ſanctificationis prioritatem, uti ſup. etiam oſtenſum eſt: & ſi ſolùm quoad unum alterumve inſtans prius fuiſſet ſanctificata B. V. quàm Ioannes, non poſſet dici conſecuta *ampliorem ſanctificationis gratiam.*

IV. Egregium quoq; teſtimonium nobis ſuppeditat locus ille q. 28. a. 3. ubi contra Eluidium concludit S. Doctor Matrem Chriſti poſt partum à Ioſeph non eſſe carnaliter cognitam. Aſſignat verò rationem quadruplicem. & ait: *Secundò hic error iniuriam facit Spiritui Sancto, cuius ſacrarium fuit uterus Virginalis, in quo carnem Chriſti formavit; unde non decebat, quod de cætero violaretur per commiſtionem virilem. Tertiò derogat dignitati, & ſanctitati Matris DEI, quæ ingratiſſima videretur, ſi tanto Filio contenta non eſſet, & ſi Virginitatem, quæ in ea miraculosè conſeruata fuerat, ſponte perdere vellet per carnis concubitum.* Duo hic potiſſimùm ruminanda. Alterum eſt, quòd uterum Virginis vocet *Sacrarium Spiritus Sancti,* quod non erat decens violari. Si rectè expendas cauſalem, planè etiam concludit pro Innocentia originali DEIparæ; nam ſicut licet dicere ad mentem D. Thomæ: Ideò non debuit Virgo violari poſt partum per commiſtionem virilem, quià erat *ſacrarium Spiritus Sancti;* ità licet dicere: Ideò non debuit Virgo in ſui animatione infici peccato originali, quià erat *ſacrarium Spiritus ſancti.* Paritas certè urget. Alterum eſt, quòd dicat S. Doctor: derogat dignitati, & ſanctitati Matris DEI, Virginitatem miraculosè conſervatam ſponte perdere velle. Noto ly *miraculosè.* Si S. Doctor ſolùm loqueretur de Virginitate carnis, ſeu corporis; non diceret miraculosè conſervatam, quià non eſt miraculum puellam 15. vel 16. annorum conſervare Virginitatem. Cùm ergò dicat Virginitatem miraculosè conſervatam, intelligit Virginitatem mentis omnimodam, & immunitatem ab originali infectione; de qua ſup. diſcurrimus. Quod ſi dicas S. Doctorem intelligere per Virginitatem miraculosè conſervatam, partum Virginis ſalvo pudore, idem argumentum eruitur: quià ſi non decebat, ut reſerarentur clauſtra pudoris in Virgine Matre DEI, multò minus decebat, ut anima eius inficeretur aliquo peccato, etiam originali.

D. Tho. q. 28. a. 3. Locus 96.

Probatio 146.

V. Docuit etiam S. Thomas in eadem 3. Parte conveniens fuiſſe, ut Chriſtus naſceretur ex fœmina ſine viro, & compleretur omnis diverſitas generationis humanæ. *Per hunc modum* (inquit) *completur omnis diverſitas generationis humanæ. Nam primus homo productus eſt ex limo terræ ſine viro & fœmina: Eva verò producta eſt ex viro ſine fœmina: alij verò homines naſcuntur ex viro, & fœmina: unde hoc quartum, quaſi Chriſto proprium relinquebatur, ut produceretur ex fœmina ſine viro.* Per ſe iſtud non probat Immunitatem Virginis ab originali, ſed paritatem ſuppeditat ad argumentum antiquorum pro eadem immunitate, quod adducit S. Bonaventura his verbis: *tùm etiam propter ordinis decorem, ut ſicut fuit perſona immunis ab originali, & in carne, & in anima; ſive in cauſa, & in effectu: & perſona utroq; modo habens originale: ſic eſſet perſona media, quæ quodammodo haberet, & quodammodo non haberet, & iſta eſt B. Virgo, quæ mediatrix eſt inter nos, & Chriſtum: ſicut Chriſtus inter nos, & DEUM.*

D. Tho. 3. p. q. 31. a. 4. Locus 97. *Probatio* 147. *S. Bon. in 3. d. 3. q. 2.*

VI. In articulo ſubſequenti ibidem, ille quoq; locus huc ſpectat, in quo S. Doctor inquirit: *Utrùm Corpus Chriſti de puriſſimis ſanguinibus Virginis formatum fuerit* & reſpondet affirmativè. Hoc ipſum jam ſatis eſſet ad probandam Innocentiam originalem Virginis: *purus ſanguis, pura caro,* denotant immunitatem ab infectione originali; & correſpondet modo loquendi Patrum, apud quos *Caro Chriſti, & caro MARIÆ,* ut ſuo docui loco idem ſunt. Et ideò rectè concludit D. Thomas: *Dicitur corpus Chriſti ex caſtiſſimis, & puriſſimis ſanguinibus formatum.* Sed ſuppetunt etiam alia in eodem articulo, ut: *Chriſtus autem, qui venerat corrupta reparare, nullam corruptionem, aut diminutionem integritati Matris eius inferre debuit.* Quomodò ergo permiſiſſet, ut corruptio originalis peccati illam attingeret? cùm tamen ad hanc potiſſimum corruptionem reparandam venerit, uti docet ipſe S. Thomas: *Chriſtus principaliùs venit ad tollendum originale peccatum, in quantum bonum gentis divinius, & eminentius eſt, quàm bonum unius.* Certè non tantùm dedecet Virginem DEI Matrem talis corruptio, quâ pars aliqua corporis ſubtracta fuiſſet pro formando corpore Chriſti; quantum illa alia corruptio, quæ oritur ex infectione peccati originalis: proinde ſi ſecundùm S. Thomam prior à Virgine proſcripta fuit, multò magis altera.

D. Tho. 3. p. q. 31. a. 5. *Locus 98.* *Probatio* 148. *D. Tho. 3. p. q. 1. a. 4.*

VII. Quæſtione 35. a. 3. dicit S. Doctor *Dicendum, quòd B. Virgo eſt vera, & naturalis Mater Chriſti: ſicut enim ſuprà dictum eſt*

D. Tho. 3. p. q. 35. a. 3 *Locus 99.*

eſt Corpus Chriſti non eſt de cœlo allatum, ſicut Valentinus hæreticus poſuit, ſed de Virgine Matre ſumptum, & ex puriſsimi ſanguinibus eius formatum.&c. Vnde B. Virgo verè eſt Mater Chriſti. Similia plura ſunt in articulo mox ſequenti: quibus duo ſuggeruntur argumenta, ſæpius ante expenſa: alterum quidem à Maternitate Virginis; alterum à puritate ſanguinum, ex quibus formatum eſt Corpus Chriſti: quæ cum ſufficienter ex ſuperioribus pateant, non libet ea hic amplius exaggerare. Illud quoq; in eodem articulo quod ex Concilio Epheſino producit, ſuam vim habet: *Siquis non confitetur DEVM eſſe ſecundùm veritatem Emanuel, & propter hoc DEI Genitricem ſanctam Virginem (genuit enim carnaliter carnem factum ex DEO Verbum) anathema ſit.* Hoc ipſo, quòd veteres Patres appellarint Virginem *Sanctam*, intellexerunt eam ſine macula Conceptam, ut latè proſequitur Salazar, & poſt eum Nierembergius ac Serranus: nos quoq; aliquid de hoc refecimus libro I. ut proinde multiplici teſtimonio etiam in hoc articulo piæ Sententiæ adfaveat S. Thomas. *Probatio 149.* *Concil. Epheſ. 1. Can. 1. To. 1. Concill. Salaz. c. 4. 1. Can. 5. Nieremb. in Except.*

VIII. Finiamus tandem allegationem locorum D. Thomæ in Commentarijs ſup. Ep. 1. ad Corinth. ubi S. Thomas illa verba Apoſtoli: *Nos talem conſuetudinem non habemus neq; Eccleſia DEI*, explicans, ait: *Vnde ſi nulla eſſet ratio, hoc ſolùm deberet ſufficere, ne aliquis ageret contrà communem Eccleſiæ conſuetudinem. Dicitur enim in Pſ. 67. Qui habitare facit unius moris in domo. Vnde Aug. dicit in Ep. ad Caſulanum, quòd in omnibus in quibus nihil certi definit ſacra Scriptura, mos populi DEI, atque inſtituta maiorum pro lege habenda ſunt.* Sic D. Thomas, quæ ſi uſpiam alibi, hic certè locum habent, ubi de Conceptione DEIparæ agitur, quam univerſa jam celebrat Eccleſia, ſanctam inclamant Orbis Vniverſi Vota; & quidem Immaculatam, ſine originali peccato, ut etiam (verba ſunt Franciſci Guerræ) *ex ipſa Dominicana familia vix aliquis reperiatur, qui Immaculatam Conceptionem ex corde non amplexetur.* Propoſitio D. Thomæ univerſalis eſt, licet proinde ſubſumere: Eccleſiæ conſuetudo eſt, & mos populi DEI Immaculatam Conceptionem celebrandi, agnoſcendi, & profitendi, ergò *ſi nulla eſſet ratio, hoc ſolùm deberet ſufficere* (ad perſuadendum eandem veritatem cœteris quoq; qui adhuc diffident) *ne aliquis ageret contrà communem Eccleſiæ conſuetudinem:* ut etiam reſidui PP. Prædicatores celebrarent, agnoſcerent, & profiterentur eandem Immaculatam Conceptionem: quo ſanè efficerent, ac experirentur *quàm bonum* ſit *& iucundum* *D. Tho. in Ep. 1. ad Cor. c. 11. lect. 3. fin. Locus 100.* *Probatio 150.* *Guerra. To. 1. l. 2. proœm.*

habitare fratres in unum, illius gratiarum chariſmatis delibuti, *qui habitare facit unius moris in domo.*

§. XXXII.

Collectio Concluſionum D. Thomæ pro Immaculata Conceptione DEIparæ.

ERgò B. Virgo ſecundùm Sententiam D. Thomæ, ut colligamus breviter, quæ hactenùs fuſè dicta

Sup. §. 8. n. 1. 1. *Pervenit ad ſummum puritatis; ſub DEO tamen, in quo non eſt aliqua potentia deficiendi*, quià fuit in *ea depuratio ab omni peccato :* Si ab omni, etiam ab originali.

Ib. n. 2. 2. Per comparationem ad DEUM, poſt naturam humanam in Chriſto quodammodò infinitè nobilis fuit, adeoq; nullâ maculâ originalis culpæ infecta.

Ib. n. 3. 3. *Nullâ contagione peccati inquinata,* & *à peccato originali, & actuali immunis.*

§. 9. n. 1. 4. A lege communi, quâ omnes habemus neceſſitatem contrahendi originale peccatum, ſpeciali exempta Privilegio.

§. 10. n. 1. 5. Maximam habuit puritatem ſub Chriſto Redemptore unico humani generis.

Ib. n. 3. 6. Plus ei gratiæ collatum, quàm ulli alteri Sanctorum, unde adhuc in utero Matris Spiritu Sancto repleta.

Ib. n. 3. 7. *Super omnes alios Sanctos à peccato purior fuit &c. velut divinæ Sapientiæ Mater electa, in quam nihil coinquinatum incurrit.*

§. 11. n. 1. 8. Habuerit licet debitum aliquod incurrendi peccatum originale; non tamen incurrit: ſicut omnes habent neceſſitatem moriendi, non tamen omnes moriuntur.

Ib. n. 2. 9. Qui in extremo die reperientur, morituri non ſunt, erit tamen in ijs reatus mortis, ſeu debitum; ſic etiamſi in Virgine fuerit debitum peccati, non tamen ipſum peccatum originale.

Ib. n. 3. & 4. 10. Ex ſpeciali prærogativa gratiæ non incurrit actualiter originale peccatum : ſicut divinâ diſpoſitione poteſt aliquis non mori, licet omnes incurrant mortem, id eſt neceſſitatem moriendi.

Ib. n. 5. 11. Ut poſſet fructum Dominicæ redemptionis percipere, debi-

Digitized by Google

debitricem ſaltem naſci oportuit; quià quilibet hominum perſonaliter redemptione Chriſti indiget, ad quam ſatis eſt debitorem eſſe, non eſt autem neceſſe peccatorem eſſe.

12. *Ex hoc quod eſt Mater DEI, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt DEVS, & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eâ, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe DEO.* §. 12. n. 1.

13. Cum Angeli creati ſint in gratia, hoc Privilegium ei non eſt negandum, quæ *Exaltata eſt ſuper choros Angelorum.* ib. n. 2.

14. Cùm primus homo fuerit *cum gratia conditus,* hoc etiam privilegium ei non eſt negandum. ib. n. 3.

15. Impeccabilis ex ſpeciali privilegio, ergò & ab originali peccato ex eodem privilegio exempta. ib. n. 4.

16. Mater DEI neceſſariò maximâ puritate nituit, ut eſſet receptaculum dignum DEO. §. 13. n. 1.

17. Ab Eccleſia celebrante ejus Conceptionem agnoſcitur concepta ſine macula originali. Ib. n. 2.

18. *Sine corruptione concepit, ſine dolore peperit,* ergò ejus Conceptio paſſiva *non fuit ſecundùm legem naturæ,* ut originali peccato inficeretur. Ib. n. 4.

19. *Gratiâ plena, quià ſcilicet habebat gratiam ſufficientem ad ſtatum illum, ad quem erat electa à DEO, ut eſſet ſcilicet Mater unigeniti ejus.* Gratiâ plena *Supra omnem puram creaturam : hæc enim plenitudo Matrem DEI decet, quæ ſuper omnes eſt puras creaturas exaltata.* §. 14. n. 1.

20. *Thalamus Domini tabernaculum Chriſti,* dignum ibi eſſe, ubi eſt ipſe in originali innocentia. Ib. n. 2.

21. Debetur ei *veneratio duliæ; eminentiùs tamen, quàm cæteris creaturis, inquantum ipſa eſt Mater DEI,* ergò & carentia, ac immunitas ab originali. Ib. n. 2.

22. Ideò ſancta ejus Nativitas agnoſcitur, quià Eccleſia illam celebrat, ergò cùm celebret nunc Conceptionem, etiam hæc ſancta. §. 15. n. 1.

23. *Præ omnibus alijs maiora privilegia gratiæ accepit :* utique & innocentiam originalem primis parentibus conceſſam. Ib. n. 2.

24. Maximis ornata beneficijs à DEO : cum ergò majus ſit beneficium præſervari, quàm mundari à peccato, ornata etiam dono Innocentiæ originalis. Ib. n. 4.

25. *DEVS potentiam ſuam legi non alligavit;* unde rationabiliter creditur exempta à lege contrahendi peccati originalis. Ib. n. 5.

26. *Tabernaculum DEI eſt ſanctificatum poſtquam cuncta perfe-* §. 16. n. 1.

cta

Digitized by Google

ctæ ſunt, anima ſcilicet, & corpus; in ipſa animæ cum corpore conjunctione.

Ib. n. 2. 27. Redempta per Chriſtum perfectiſſimo redemptionis modo, quià præſervata à caſu.

Ib. n. 3. 28. Maxima fuit eius ſub Chriſto puritas, qui nec peccavit nec peccare potuit; igitur ipſa licet peccare potuerit, non tamen peccavit.

Ib. n. 4. 29. Conceptio eius *in via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiæ non ſedit, quæ in ſuo ortu à peccato originali fuit immunis.*

§. 17. n. 2. 30. *Electa divinitùs: ut eſſet Mater DEI. Non autem fuiſſet idonea Mater DEI, ſi peccaſſet aliquando.*

Ib. n. 3. 31. Ab originali eximi debuit, aliàs *ignominia Matris ad Filium redundaſſet.*

Ib. n. 4. 32. *Singularem affinitatem habuit ad Chriſtum, qui ab ea carnem accepit.* igitur immunis ab originali peccato, uti & Chriſtus.

Ib. n. 5. 33. *DEI Filius, qui eſt DEI Sapientia in ipſa habitavit*, igitur munda, & immunis ab originali.

Ib. n. 6. 34. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Vt hoc in ea impleretur, debuit eſſe immunis ab originali.

§. 18. n. 1. 35. *Benè gratiâ plena, quià cæteris per partes præſtatur; MARIÆ verò ſe totam ſimul infudit gratiæ plenitudo;* quidni etiam gratia Innocentiæ originalis?

Ib. n. 2. 36. *Propinquiſſima fuit Chriſto ſecundùm humanitatem, & ideò præ cæteris maiorem debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem obtinere.*

§. 19. n. 1. 37. Mater Filij DEI debuit eſſe Virgo, ergò Virgo non tàm carne, quàm mente; uti Eva in ſtatu innocentiæ.

Ib. n. 2. 38. *Verbum abſq; omni corruptione cordis concipitur, ergò conveniens fuit, ut Caro Verbi DEI ſine corruptione Matris conciperetur.* Corruptione inquam non tàm carnis, quàm mentis.

Ib. n. 4. 39. *Non poterat eſſe, quòd in natura iam corrupta ex concubitu, caro naſceretur ſine infectione originalis peccati.* ergò etiam non poterat eſſe, quòd in natura corrupta per originale peccatum, caro naſceretur ſine infectione originalis peccati.

Ib. n. 5. 40. Talis debuit eſſe Mater Chriſti, qualem Chriſtus ſibi Sponſam deſignabat Eccleſiam *non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi.*

§. 20. n. 1. 41. Virgo in partu cùm parit DEVM, ergò Virgo dum concipitur, ut ſit idonea Mater DEI.

Ib. n. 2. 42. *Fas non erat, ut per eius adventum violaretur integritas, qui venerat ſanare corrupta.* Integritas mentis potior eſt integritate car-

carnis ;· hanc violatam non voluit , multò igitur minùs illam.

43. Immunis ſervata à peccato per Filium, *qui parentes præceperat honorandos.* *Ib. n.* 3.

44. *Porta hæc clauſa erit, & non aperietur,* ut originali maculâ inficiatur. *Ib. n.* 4.

45. Si conſtituta *loco totius humanæ naturæ* DEI Filij Sponſa immaculata, fidei obſes apud DEVM pro mundo, quomodo non purior omnibus cœteris individuis humanæ naturæ ? *§. 21. n.* 1.

46. *Angelus ad Virginem mittitur, quià ſemper eſt Angelis cognata Virginitas* ſi ſemper, ergò etiam in animationis inſtanti : ſi mentis Virginitas, ergò pura Virgo ab omni macula originali, & perſonali. *§. 22. n.* 1.

47. *Mater DEI ſuperior Angelis quantum ad dignitatem,* quidni & purior innocentiâ originali ? *Ib. n.* 2.

48. A quibuſdam generalibus excipitur, ergò & à generali contractione peccati originalis. *Ib. n.* 3.

49. Præſervata *ne cum peccato originali conciperet,* utiq; etiam ne conciperetur. *§. 23. n.* 1.

50. *Fœmina concepit DEVM, & Virgo peperit Filium,* igitur tàm pura eſſe debuit,ut nullâ maculâ contaminaretur. *Ib. n.* 3.

51. *Nec in Conceptione inventa eſt ſine pudore, nec in partu inventa eſt cum dolore,* ergò nec in ſui animatione inventa eſt cum macula originali. *§. 24. n.* 1.

52. *Sine peccati colluvione Chriſtum ſuſcepit, ſine dolore genuit, & ſine integritatis violatione ; pudore Virginitatis integra permanſit,* & dubitemus eam in primæva innocentia integram permanſiſſe? *Ib. n.* 1.

53. Activa *eius Conceptio non fuit ſecundùm legem naturæ,* ergò etiam paſſiva fuit privilegiata. *Ib. n.* 1.

54. Nullam habuit immunditiam ; igitur nec illam, quæ ex originali peccato trahitur. *Ib. h.* 2.

55. *In Chriſto, & in Virgine MARIA nulla omninò macula fuit.* igitur nec originalis. *§. 25. n.* 1.

56. *Nullam habuit obſcuritatem peccati* ; quis igitur audeat caliginem originalem eius nitori offundere ? *Ib. n.* 2.

57. *Ipſam ſanctificavit DEVS in utero Matris ſuæ, poſtquam formatum fuit corpus, & creata anima* poſterioritate naturæ, non temporis. *Ib. n.* 3.

58. *Quæ nullam contraxit maculam originalis peccati,* quomodò jam aſſeritur à quibuſdam maculata ? *§. 26. n* 1.

Ib. n. 2. 59. *Non inveni, quæ omninò à peccato immunis eſſet ad minus originali, vel veniali: excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo.*

Ib. n. 3. 60. *Ipſa eſt templum DEI mirabile præ omnibus Sanctis.* Ergò immunis ab originali.

Ib. 61. Templum ſanctum Dominatoris, omninò mundum eſſe decuit.

Ib. 62. *Quià nihil in Virgine, quod non ſanctitate plenum eſſet.*

Ib. n. 4. 63. *Voluit purgari, cùm non indigeret;* indiguiſſet verò, niſi fuiſſet immunis ab originali.

§. 27. n. 1. 64. *Oportuit illam fœminam, de qua Chriſtus Corpus aſſumpſit, maximè ſpiritualibus donis repleri;* igitur & innocentiâ originali.

Ib. n. 1. 65. *Oportuit non ſolùm mentem eius eſſe immunem à peccato, ſed etiam corpus.* Immunis proinde fuit mens eius ab originali.

Ib. n. 2. 66. *Ab omni labe actualis peccati immunis, etiam ab originali ſpeciali privilegio mundata,* id eſt munda præſervata, vel munda creata.

Ib. n. 3. 67. Habuit quidem debitum contrahendi originale peccatum ſed abſq; eo concepta eſt: *hoc enim privilegium ſibi ſoli ſervabatur.*

§. 28. n. 1. 68. *Fuit plena gratiæ, in qua nullum peccatum fuit:* ergò nec originale.

Ib. n. 2. 69. *Nullus hominum (præter Chriſtum & B. Virginem) fuit immunis à peccato originali.*

Ib. n. 3. 70. *Ipſa enim puriſſima fuit, quantum ad omnem culpam, quià nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.*

Ib. n. 3. 71. Excedit Angelos quantum ad puritatem, ergò quantum ad innocentiam originalem.

Ib. n. 3. 72. Excedit Angelos *in plenitudine gratiæ,* quæ magis eſt in B. Virgine, quàm in aliquo Angelo.

Ib. n. 3. 73. *Gratia DEI datur ad duo, ſcilicet ad bonum operandum, & ad vitandum malum; & quantum ad iſta duo perfectiſſimam gratiam habuit B. Virgo. Nam ipſa omne peccatum vitavit, magis quàm aliquis Sanctus poſt Chriſtum.*

Ib. 74. Ab originali peccato mundata in utero; id eſt, munda præſervata.

Ib. n. 4. 75. Tota pulchra, *cui plus gratiæ collatum fuerit ad peccatum ex omni parte vincendum.*

Ib. n. 5. 76. *Excedit Angelos quantum ad puritatem, quià non ſolùm erat pura in ſe, ſed etiam procuravit puritatem aliis. Et Immunis fuit ab omni maledictione.*

77.

Digitized by Google

77. Libera ab omni væ, à væ culpæ, pœnæ, miſeriæ. §. 29. n. 1.

78. *Quià creditur præ alijs privilegium gratiæ accepiſſe, non eſt fas dicere hoc negatum fuiſſe tantæ Virgini*, ut conciperetur ſine originali. Ib. n. 2.

79. *Si ſanctitas eſt ab omni immunditia, libera, & perfecta, & omninò immaculata munditia ;* & Virgo in ipſo ortu ſuo in utero ſancta fuit, non aliter ſentire debemus, quàm ſine originali conceptam. Ib. n. 2.

80. *Poſtquam cuncta perfecta ſunt, aperuit nubes tabernaculum.* Poſtquam anima eius unita corpori infuſa eſt gratia, quæ impediret originalis peccati maculam. Ib. n. 2.

81. *Quià quo tempore fuerit ſanctificata ignoratur*, inde eſt, quià quo tempore animata fuerit ignoratur: & vel hinc ſine macula concepta intelligitur. Ib. n. 2.

82. *Copioſior ſanctificationis benedictio in eam, quàm in alios Sanctos ab utero ſanctificatos deſcendit.* Ergò in ipſo animationis inſtanti. Ib. n. 2.

83. *Speculum clariſſimum, immaculatum, incoinquinatum, incontaminatum: ſpeculum clariſſimo clarius; Seraphim terſius & purius; & tantæ puritatis ut purius intelligi non poſſet, niſi DEVS eſſet*, quis audeat arguere maculæ originalis? Ib. n. 3.

84. Omninò receſſit ab impuritate culpæ. *Illud autem, quod omninò recedit ab impuritate culpæ eſt ità purum, quòd nihil poteſt eſſe eo purius.* Poſſet autem eſſe purius, ſi Virgo aliquandò infecta fuiſſet originali. §. 30. n. 1.

85. Obnoxia quidem peccato, id eſt habens debitum, ſed immunis ab eo actu contracto. Ib. n. 2.

86. *Matri ſapientiæ maximè decuit hoc conferri, in quam nihil coinquinatum incurrit*, ut conciperetur abſq; originali. Ib. n. 3.

87. *Si ſanctificati ſunt Ioannes & Ieremias, multò magis creditur ſanctificata Virgo, quæ Chriſtum genuit.* Si multò magis, utiq; in ipſa animatione. Ib. n. 3.

88. In ſanctificatione *immunitatem à peccato conſecuta* eſt, ſignum ergò eſt in ipſo inſtanti animationis ſanctificatam, & ab omni ſorde vitiorum caſtificatam. Ib. n. 4.

89. In ipſa igitur *prima ſanctificatione conſecuta eſt immunitatem à peccato*, quæ ſonat nec originale, nec actuale mortale, nec veniale incurrere. Ib. n. 4.

90. *Decebat, quòd DEI Mater eâ puritate niteret, quâ maior ſub DEO nequit intelligi. Decebat quòd Mater DEI eſſet puriſſima, & perfectiſſima Virgo.* Ib. n. 5.

Ib. n. 5. 91. *Meruit ex gratia ſibi data, illum puritatis & ſanctitatis gradum, ut congruè poſſet eſſe Mater DEI* illum proinde puritatis gradum in quo etiam ab originali labe immunis eſſet.

Ib. n. 6. 92. *Mulier amicta Sole MARIA, propter peccati omnimodam immunitatem: unde Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

§. 31. n. 1. 93. Tametſi *caro Virginis concepta fuit in originali peccato,* non ideò tamen etiam anima illo peccato infecta. Si enim Chriſtus *accepit naturam humanam abſq; peccato, in illa puritate, in qua erat in ſtatu innocentiæ,* conſentaneum erat, ut talis natura prius eſſet in Matre Virgine.

Ib. n. 2. 94. *Gratia ſanctificationis in Virgine habuit vim originalis iuſtitiæ.* Quodſi ità, certè etiam vim habuit annexæ originalis innocentiæ.

Ib. n. 3. 95. *B. Virgo, quæ fuit à DEO electa in Matrem, ampliorem ſanctificationis gratiam obtinuit, quam Ioannes Baptiſta, & Ieremias.* Quomodò ampliorem, niſi etiam in ipſa animatione ſancta eſſet?

Ib. n. 4. 96. *Spiritus Sancti ſacrarium fuit uterus Virginalis; unde non decebat, quòd violaretur per commiſtionem virilem,* multò minùs per originalem maculam.

Ib. n. 5. 97. Conveniens fuit *propter ordinis decorem, ut ſicut fuit perſona immunis ab originali, & in carne, & in anima: & perſona, utroq; modo habens originale: ſic eſſet perſona media, quæ quodammodo haberet, & quodammodo non haberet, & iſta eſt B. Virgo.*

Ib. n. 6. 98. Si Corpus Chriſti *de puriſſimis ſanguinibus Virginis formatum,* Virgo igitur puriſſima ab omni nævo.

Ib. n. 7. 99. *B. Virgo eſt vera & naturalis Mater Chriſti,* quomodò igitur non immunis ab originali?

Ib. n. 8. 100. Conſuetudo Eccleſiæ, & inſtituta maiorum clamant illam Conceptam ſine macula, quidni & nos?

§. XXXIII.

Explicatur locus præcipuus in quo S. Thomas contrarius fuiſſe putatur Immaculatæ Conceptioni.

I. Caieta-

I. CAietanus videtur ſuppoſuiſſe, nullum locum in Divo Thoma reperiri poſſe, quo Immaculata Conceptio Virginis comprobetur; ait enim ad piè ſentientes: *Debent afferri authoritates Sanctorum, & antiquorum; non in genere, ſed in ſpecie peccati originalis maculam negantes à B. Virgine &c. ut nos fecimus pro oppoſita opinione.* Eius deſiderio putem ego magna ex parte ſatisfactum ſuperioribus §§. adductis 100. locis S. Thomæ pro pia Sententia; quibus totidem, & plures addi poſſent. Quâ ratione verò Caietanus in ſpecie non in genere attulerit authoritates Sanctorum pro oppoſita opinione, ubi nec unum legitimè citavit, fusè oſtenduntMaraccius. VVaddingus. Ciſmontani. & nos breviter infra Cap. 9. dicemus. Hic verò animadverto, quod unicum locum ex S. Thoma producat, & nec illum benè alleget, prout in fonte ipſo invenitur. Verba Caietani ſunt: *S. Thomas de Aquino in 3. p. q. 27. a. 2. dicit: B. Virgo MARIA, quia fuit concepta ex commixtione parentum, originale peccatum contraxit.* Hæc non ſunt genuina S. Thomæ verba, ſed: *Beata Virgo peccatum originale contraxit, cùm fuerit concepta ſecundùm carnis concupiſcentiam, ex commiſtione maris & fœminæ.* Hic locus, quem ſenſum habeat, paulò poſt dicam. Citavit etiam Caietanus alium locum ex S. Thoma pro pia Sententia adduci ſolitum, an in ſpecie & fideliter, judicet prudens Lector. Verba ejus ſunt: *S. Thomas in 1. Sent. Immunis fuit ab omni peccato &c. & ſi quæ ſunt ſimilia, quæ pro hac opinione afferuntur, licet ſcholaſticâ diſputatione non ſint indigna, à iudicio tamen veritatis procul eſſe debent: quoniam non ex dictis facilè veras gloſſas, & expoſitiones rationabiles habentibus, extorqueri debet hæc ſingularis veritas, ſed debent afferri authoritates Sanctorum &c. in ſpecie &c.* Quid fuit mi Caietane obſtaculi, quo minùs integrum D. Thomæ locum citares, niſi quia ſupprimere volebas authoritatem in ſpecie? Ego apud D. Thomam ſic lego citatum locum: *Talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.* Annon ſufficienter ſpecificata eſt hæc authoritas? annon exprimit peccati ſpeciem à quo immunis fuit B. Virgo? ſed videamus an Caietani opinio in D. Thoma fundamentum habeat & authoritatem magis in ſpecie, quàm noſtra.

Caiet. Tract. de Concept. c. 5.

Maracc. in fide Caiet. VVading. in Legat. Ciſmant. in Armam. Reg. col. 240.

Caiet. Tract. cit. c. 4.

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 2. ad 4.

Caiet. cit. cap. 5.

II. Locus quem adducit, immutatus, ut modo dictum, iſte eſt: *B. Virgo peccatum originale contraxit, cùm fuerit concepta ſecundùm carnis concupiſcentiam.* de hoc: Dico primò, dubium

 eſſe

eſſe, an hæc ſit genuina S. Thomæ Sententia, quia ut ſupra nota-
Sup. §. 1. vi. 1. Putatur ſumma non eſſe Opus D. Thomæ, ſed alicuius Diſcipuli, tùm quia multa continet longè aliter digeſta, quàm in ſententijs, tùm quia magna ex parte alio ordine, tùm quia multa adjecta in ſumma, quæ non reperiuntur in ſententijs, tùm quia Scriptum ſecundum in ſententias ad Annibaldum nihil aliud eſt quam Compendium, & Summa quædam primi ſcripti, ut proinde vix credibile videatur ab eodem S. Doctore, cum tam notabili tractationis variatione ſecundum Compendium ſuæ Theologiæ ſive Summam concinnatam. 2. Putatur ſaltem quæſtio 27. in qua hæc verba reperiuntur ſuppoſititia. 3. Vt detur
Marta-nell. ſup. cit. Summam totam eſſe verè genuinum S. Thomæ partum, putatur tamen compoſita à Divo Thoma cum eſſet iuvenis, cuius Sententias aliquas deinde ſenior retractavit. Hujus conjecturæ nonnulla indicia dedi ſupra §. 1. hujus Capitis, & alibi; hic addo, quod fortè D. Thomas junior, nondum fidens ſuo ingenio multa mutua acceperit ex Vincentio Bellovacenſi teſte Franciſ-
Garzia. ſco Garzia Ord. Prædicatorum, qui Angelici Doctoris Opera correxit: ait enim ad finem partium: *apertiſſimum eſſe S. Thomam mutuaſſe ex Vincentio fermè omnia, quæ in duobus Codicibus de vitijs & virtutibus ſcripta reliquit. Præceſſit enim Vincentius D. Thomam 34. annis, ac proinde cum eadem ab utroq; prorſus ſcripta reperiantur, quamvis multò elegantiori methodo diſponantur à S. Thoma, quàm à Vincentio fuerunt tradita, veroſimilius Thomam à*
Scherl. in Cant. Anteloq. 11. ſect. 3. n. 14. *Vincentio hauſiſſe doctrinam, non contrà Vincentium à Thoma.* Sic Garzia apud P. Scherlogum. Sed nolo his immorari.

III. Dico 2. locum adductum ſive ſuppoſititius ſit, ſive genuinus, nihil ta men contrariari piæ ſententiæ, quia 1. contrahere originale duplicem habet ſenſum & ſonat vel contrahere quoad debitum, vel quoad ipſam actualem maculam; non autem ſolùm quoad ipſam actualem maculam. 2. Contrahere originale, ſupponit quantum eſt ex vi legis ordinariæ, non ex-
Caiet. in 3. p. q. 27. a. 2. cludendo ſpeciale Privilegium. Primum ſenſum de debito & actuali macula admittit ipſe Caietanus in hunc locum diſſerens. *Oportet enim aut quod habeat peccatum, vel quod ſit in procinctu ſeu periculo habendi peccatum, quiſquis eget ſalvari à peccato &c.* Supponit ergo ſufficere, quòd quis habeat debitum, vel periculum incurrendi peccatum, ad hoc ut ſalvetur per Chriſtum; idq; intelligit de originali, quia de hoc loquitur, oſtendere volens B. Virginem debuiſſe redimi per Chriſtum, ideoq; debuiſſe habere

vel

vel ipſum peccatum vel periculum incurrendi ſub diſiunctione, non autem utrumq; ſimul, vel ſolum peccatum. Eſſe verò hunc ſenſum ad mentem D. Thomæ ſup. oſtendi §. 9. & ulterius hic clarè Probo, quià S. Thomas 4. contra gentes c. 50. diſertè ait: *Primo quidem aſſumendum eſt, quod dicitur Gen. 2. Tulit Dominus DEVS hominem, & poſuit eum in Paradiſo, præcepitq; ei dicens: Ex omni ligno &c. In quacunq; autem die comederis ex eo morte morieris. Sed quia Adam nec eo die quo comedit, actu mortuus eſt, oportet ſic intelligi, quod dicitur morte morieris, id eſt neceſſitati mortis eris addictus &c.* Ex quo arguo ſic: Secundùm S. Thomam adhoc ut verificetur illud Scripturæ: morte morieris, ſatis eſt ut Adam & ejus poſteri habeant neceſſitatem moriendi; ergò etiam adhoc ut verificetur iſtud Apoſtoli: *In omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt,* ſatis eſt ut omnis homo habeat neceſſitatem contrahendi tale peccatum, licet aliquod individuum actu non contrahat. Diſparitatem non video, præſertim cùm S. Thomas agnoſcat caſum poſſibilem, quo aliquod individuum ſeminaliter propagatum ab Adam, ſine peccato originali conciperetur, uti aſſerit Ferrarienſ. *Videtur eſſe de mente S. Thomæ dicentis 3. Sent. q. 1. a. 1. ad 1. quod DEVS potuit parentes B. Virginis ſic in ſtatu viæ curare, ut prolem ſuam ſine originali peccato concipere poſſent.*

S. Tho. 4. cont. gent. c. 50.

Ferrar. 4. cont. gent. c. 50.

Ferrar. cit.

IV. Dices hoc totum in bona Theologia concedi poſſe, non autem ſecundùm D. Thomam: nam, ut obſervat idem Ferrarienſ. *non videntur benè interpretari S. Thomæ poſitionem, qui dicunt peccatum originale ſic proportionari morti, quod tantum neceſſitas moriendi correſpondeat neceſſitati habendi peccatum.* Sed reſpondetur, etiam in Doctrina S. Thomæ prædictum diſcurſum admitti debere: oſtendo. S. Paulus nō aſſeruit ſine aliquo fundamento Scripturæ veteris teſtamenti (ſeclusâ revelatione) omnes in Adam peccaviſſe, illud fundamentum non erat aliud, quàm textus ex Geneſi paulò ante relatus: *In quacunque autem die comederis ex eo morte morieris.* ergò hinc principaliter probatur transfuſio peccati primorum parentum in poſteros; ergò per nomen *mortis* non tantùm intelligitur mors corporis, ſed etiam animæ, ſeu ipſum peccatum. quo poſito evidenter ſequitur *peccatum originale ſic proportionari morti, quod tantum neceſſitas moriendi correſpondeat neceſſitati habendi peccatum,* non autem peccato actualiter contracto. Loquatur ipſe S. Thomas, & dicat quid per mortem comminatam à DEO in Paradiſo intelligat.

D. Tho. Comment. in Gen. c. 2.

In

In quacunq; die comederis, morte morieris. Hic iteratur & per ſe primo intelligitur neceſſitas moriendi: unde tranſlatio Symmachi magis propriè loco illius, morte morieris, habet mortalis eris. Includebatur & ibi mors damnationis æternæ, ſcilicet carentia viſionis divinæ; quæ per illam tranſgreſſionem incurrebatur, & ianua Paradiſi claudebatur &c. Ecce clarè duplicem mortem corporis & animæ intelligit in illis verbis S. Thomas: ergò cùm alibi explicat quomodo intelligenda ſit pœna mortis, explicat de pœna utriuſq; mortis corporis & animæ; ergò ſicut pœnam mortis corporalis ſalvat per ſolam neceſſitatem incurrendi hanc mortem, ita pœnam mortis animæ, quæ eſt originale peccatum, ſalvat per ſolam neceſſitatem incurrendi hanc mortem: ergò ſicuti DEVS non obſtante neceſſitate incurrendi mortem corporis, ab ea tamen aliquos eximit; ità non obſtante neceſſitate incurrendi peccatum originale, ab eo tamen aliquod individuum eximere poteſt, imò defacto exemiſſe credendus eſt, quod convenientiſſimè aſſignari poterit DEIpara Virgo. A primo ergò ad ultimum locus ille ſupra adductus *Beata Virgo peccatum originale contraxit* duplicem habere poteſt ſenſum juxta S.Thomæ doctrinam, nimirùm quòd contraxerit, vel quoad actualem infectionem peccati, vel quoad debitum ſolùm; quo ſenſu autem S. Thomas id ſcripſerit aliunde divinandum eſt, ex alijs locis ipſius doctrinæ.

Caiet. Tract. de Concept. cap. 3.

Diſcurſus hic, & mens D. Thomæ agnoſcitur ab ipſomet Caietano in eo libello, in quo aliàs non planè favet piæ ſententiæ. Placet verbatim ejus aſſertionem referre: *Dicitur à peccato originali mundatus, non ſolùm, qui à contracta actuali macula mundatus eſt: ſed qui à macula quidem in debito, & initio in propria perſona fundato &c. mundatus eſt. Nec putet quiſquam de mea hæc phantaſia me proferre, ſed videat D. Thomam in Primam ſecundæ q. 81. a. 3. ubi inter alia tractat etiam illud ad Rom. 5. Per unum hominem peccatum tranſiit in omnes, & per peccatum mors: ſuſtinentem, quòd per mortem ſufficit intelligere debitum, ſeu reatum in propria perſona mortis, quamvis nunquam actualiter aliquis moreretur. Ex quo habetur (quòd cùm Apoſtolus duo dicat) ſcilicet quod in omnes pervenit peccatum & mors; ſicut ſecundum, ſcilicet mors, ſufficienter ſalvatur, exponendo mortem vel in actu, vel in debito in propria perſona; ità & primum, ſcilicet peccatum, ſalvatur exponendo peccatum in actu, vel in debito in propria perſona.* Hæc Caietanus, quæ clarè noſtrum firmant diſcurſum. Vnde habetur

à pri-

Digitized by Google

à primo ad ultimum aſſertionem ſupradictam S. Thomæ: *Beata Virgo peccatum originale contraxit* intelligendam eſſe de debito non de actualiter contracto peccato. Et cùm hic duplex ſenſus uerbis D. Thomæ non contrarietur, ſed correſpondeat, aliunde uerò fauorabilia ſint amplianda, odioſa reſtringenda; non uideo quomodo prudenter D. Thomæ impingi poſſit hæc nota, quòd docuerit B. Virginem actu maculatam fuiſſe peccato originali.

V. Alter ſenſus præcedenti affinis eſt, quòd contraxerit quantum eſt ex ui legis ordinariæ, per Priuilegium tamen à peccati actuali macula fuerit exempta. Hoc ſine dubio ſequitur, ſi ſolùm debitum contraxit, non actuale peccatum, quià talis immunitas à peccato Priuilegium eſt. Quòd uerò hunc ſenſum habere poſſint D. Thomæ uerba clarum eſt ex ſæpè dictis, præſertim ſup. §. 9. per totum; ubi, cùm dixerimus Diuum Thomam in uniuerſalibus propoſitionibus de lege ordinaria, ſemper locum dare priuilegio, idq; ad mentem ipſorummet Thomiſtarum, facilè concludi poterit quo ſenſu hic locutus ſit S. Thomas. Ioannes à S. Thoma, uti ſuprà notaui, ponderans illum locum ex 1. 2. q. 81. art. 3. *Dicendum &c. quòd omnes homines, præter Chriſtum ſolum ex Adam derivati, peccatum originale contrahunt, &c.* cùm multa de eo diſſeruiſſet, tandem ſubnectit: *Scio Caietanum, & Medinam ſuper illum locum ex prima ſecundæ, propoſitionem D. Thomæ in hoc ſenſu accipere, quòd ſolum ſit de fide omnes homines contrahere peccatum originale quoad debitum, non defacto: ſicut eſt de fide omnes homines habere debitum moriendi, non tamen eſt de fide, ſed in opinione, an aliqui defacto non ſint morituri, illi videlicet, qui in ultimo fine mundi invenientur. Cæterùm communior D. Thomæ interpretatio eſt, quòd loquitur D. Tho. in illa universali propoſitione, ex vi legis ordinariæ, relinquendo ſemper locum privilegio.* Ità cenſent Ferrara &c. citat deinde complures pro hoc ſuo aſſerto Authores. Zumel, Lorcam, Aluarez, Azor, Salas, Valentiam, Monteſinum, Cornelium à Lapide, quos ſupra nos ſuo loco adduximus. Ex quo conficitur, quòd ſicut illa uniuerſalis propoſitio ſolùm intelligitur de lege ordinaria, relinquendo locum priuilegio, ità poſſit ac debeat intelligi etiam altera: *Beata Virgo peccatum originale contraxit*, nimirùm, contraxit uel contraxiſſet, quantum erat ex ui legis ordinariæ, niſi per priuilegium exempta fuiſſet, ac præſeruata.

VI. Præter duas ſuperiores explicationes textûs allegati, aduerto unam aliam, fortè magis ad literam. Secundum Doctorem Angelicum, ut ſup. retuli §. 31. n. 1. *In verbo contrahendi, intelligitur*

D. Tho. in 1. 2. q. 81. a. 3.

Ioan. à S. Tho. To. 1. in 1. p.

D. Tho. 3. p. q. 14. a.

gitur ordo effectus ad cauſam, ut ſcilicet illud dicatur contrahi, quod ſimul cum ſua cauſa ex neceſsitate trahitur. &c. id eſt poſitâ cauſa eſt reſpectus, & ordo ad effectum poſſibilem; eſt neceſſitas; eſt debitum uel exigentia huius uel illius effectûs, etiamſi effectus actu non ponatur. Sic (ut in exemplo D. Thomæ maneamus) loquendo de corporalibus defectibus, *illi propriè dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati hos defectus incurrunt.* Non ſignificat hoc, quòd actu debeant habere tales defectus corporales, quia multi pleriſq; eiuſmodi defectibus carent, licet non omnibus; Sed ſignificat ſolùm, quòd ſuppoſito peccato originali in hoc illóue indiuiduo, ſit debitum ſeu exigentia, ſeu neceſſitas, & obnoxietas ad habendos tales defectus licet actu non habeantur: eſt (ut cum D. Thoma Philoſophicè loquamur) *ordo effectus ad cauſam*, eſt reſpectus, ſeu relatio etiam cauſæ ad effectum. Cum ergò cauſa in actu primo importet ſolùm effectum poſſibilem non actu exiſtentem, conſequenter apparet, quo ſenſu dixerit S. Thomas *B. Virgo peccatum originale contraxit*; eo nimirùm ſenſu, quo defectus corporales contrahuntur ſuppoſito peccato, non actu, ſed potentiâ, ſed exigentiâ. Atq; ita etiam inſiſtendo rigori uerborum D. Thomæ habetur, quòd ſolùm intellexerit D. Thomas B. Virginem contraxiſſe debitum peccati originalis, ex eo quia in cauſa, id eſt in primo parente (uti cœteri homines) à quo ſeminaliter derivata eſt, hanc exigentiam, hunc reſpectum, & ordinem ad talem effectum acquiſiuit, ſicuti alij, qui actu originali peccato inquinantur, acquirunt debitum, exigentiam, & ordinem ad defectus corporales, morbos, mortem &c. etiamſi deinde aliqui nec ægrotent, nec moriantur ex ſpeciali Prouidentia DEI priuilegiati ut Elias, ut Enoch, & alij, qui in fine mundi inuenientur. Senſus igitur illius Sententiæ D. Thomæ *B. Virgo peccatum originale contraxit*, iſte eſt; B. Virgo à peccato primi parentis tanquam cauſa contraxit debitum peccati originalis, quod debitum eſt ordo quidam, & reſpectus ad peccatum originale tanquam ad effectum; cum quo ſtat, quod ſicut cauſa non neceſſariò actualem effectum reſpicit, ſed ſolùm poſſibilem, ità peccatum primi parentis, non neceſſariò poſt ſe trahat in quovis indiuiduo maculam originalem. Sed adhuc clariora inueſtigemus.

VII. Quando ambigitur de authoris alicuius opinione, eoquod Sententia ab ipſo prolata uarium ſenſum contineat; oportet non ſolum Sententiam, ſed & illa quæ ſententiæ connexa ſunt perpendere; & tunc ex contextu totius diſcurſus facilè in cognitio-

nem

nem uenitur ueræ ſententiæ, & opinionis. In noſtro caſu certum eſt, quòd verba D. Thomæ allata *Beata Virgo peccatum originale contraxit*, ſenſum habeant uarium, ut paulò ante oſtenſum, & patebit etiam ex dicendis. Quis autem ſit uerus ſenſus, quem D. Thomas intendit, non debet inueſtigari ſolùm ex ui, & proprietate uerborum; quià multi Doctores, & ipſe quoq; Thomas, ſæpius à proprietate uerborum recedunt, & loquuntur impropriè, ac metaphorice, uel metonymicè: ſed debet obſeruari totus contextus, & ea, quæ connexa ſunt ſententiæ, ut eliciatur ſenſus genuinus. Si igitur citata D. Thomæ Sententia nudè & ſolitariè accipiatur, ſenſum uarium, ut ſuprà oſtenſum, & iuxtà uerborum rigorem ferè magis inclinantem in ſententiam oppoſitam piæ, habebit. Si uerò illa uerba conferantur cum aliis annexis, & totus inſpiciatur articulus, conſtabit uerus ſenſus Diui Thomæ, quem ego me hic deprehendere puto; nimirùm quòd S. Thomas nihil aliud per prædicta uerba aſſeruerit; quàm quòd Caro Virginis ante animationem infecta fuerit; & habuerit remotum illud debitum, ſeu neceſſitatem, animam quoq; inficiendi quando ipſi uniretur. Hoc meo iudicio facilè eſt oſtendere. Nam 1. legatur titulus articuli: *Vtrùm B. Virgo fuerit ſanctificata ante animationem.* quæritur de Carne Virginis, non de perſona; de tempore ante animationem ſeu Conceptionem formalem, nō de tempore ipſius animationis. ergò quando S. Thomas dicit *B. Virgo contraxit originale*, intelligit, Caro Virginis infecta eſt ante animationem, & habuit debitum, ſeu neceſſitatem ex ui generationis humanæ inficiendi etiam animam, iuxtà doctrinam alibi traditam à S. Doctore, cuius etiam nos ſuprà meminimus §. 3. &c. Huc uidentur collimare illa, quæ Ioan. à S. Thoma aduertit: *D. Thomas nunquam propoſuit quæſtionem directè: An B. Virgo contraxerit originale; an verò fuerit præſeruata; ſed utrùm fuerit ſanctificata ante animationem? Quia cùm in Conceptione B. Virginis attendantur duo; ſcilicet & perſona concepta, ut terminus; & actio ipſa generandi, ſeu concipiendi; & utrumq; Conceptionis nomine ſignificari ſoleat, & poſſit; non fuit ſolicitus D. Thomas quærere de perſona, an fuerit præſeruatione priuilegiata; ſed de actione, & de principijs, ex quibus generata eſt perſona; ſcilicet anima vel carne ante animationem, an ex vi ſua induxerint ſanctitatem in perſona, & curæ fuit ipſi includere ab actione priuilegium, & carentiam debiti contrahendi peccatum; hæc enim carentia ex ipſa actionis generatiuæ ſanctitate, ſeu priuilegio ſequebatur. De perſona verò concepta, an fuerit priuilegiata, non obſtante actione ipſa, ſeu actiua Conceptione, quæ de ſe in peccatum*

D. Tho. in 2. d. 31. q. 2. a. 1. & 2.

Io. à S. Thoma ſup. cit.

Virgo in ipſo eorum ſemine, aut carne ante animationem ſanctificata fuerit, quiá perſonalis ſanctificatio parentum non tranſit in prolem: ſed *nihilominùs B. Virgo peccatum originale contraxit,* quando? quomodo? ante animationem in ſeminali ſui Conceptione, in carne nondum animata; contraxit, non peccatum originale formaliter, ſed cauſaliter, ſeu radicaliter; id eſt contraxit debitum, & exigentiam ad originale peccatum actu habendum in animatione, niſi ſpeciali gratiâ & priuilegio præſeruaretur. Ac proinde nihil hoc loco D. Thomas pronuntiauit aduerſus piam ſententiam, quiá juxtà hanc probabiliter concedi poteſt, quòd Conceptio ſeminalis B. Virginis, quando ſemen S. Ioachimi, in utero S. Annæ receptum eſt, fuerit more cœterorum hominum, cum illa originali infectione, & remoto (ut aiunt) debito originalis peccati, & tamen anima præſeruata ne á taliter concepto ſemine aut carne inficeretur, ne in unione cum corpore actu peccato originali macularetur; quæ benè notanda ſunt etiam pro aliis eiuſmodi locis in D. Thoma, cuius intentio tota fuit cum S. Bernardo negare ſanctitatem Conceptioni ſeminali, non autem formali, uel animationi. Sed de hoc eodem loco adhuc nonnulla ſequenti §. ſubnotabo.

§. XXXIV.

Explicatur uberius idem locus cum annexis alijs argumentis, & reſponſionibus ejuſdem articuli.

QVandoquidem aduerſæ aſſertores ſententiæ in præfato articulo 2. quæſtione 27. 3. p. maximam uim collocare ſolent, uidendum eſt, utrùm in aliquo loco, præter allegatum, quidpiam reperiatur, de quo meritò triumphare poſſint. Hoc ut præſtemus, neceſſe eſt totum articulum percurrere, & argumenta S. Doctoris pro & contra ponderare.

I. Primum argumentum (nam de titulo paulò ante dictum) quòd *plus gratiæ eſt collatum Virgini Matri DEI, quàm alicui Sanctorum: ſed quibuſdam videtur eſſe conceſſum, quòd ſanctificarentur ante animationem*, ut Ieremiæ, ut Ioanni Baptiſtæ, *ergò multò magis B. Virgo ante animationem ſanctificari potuit.* In hoc argumento nihil reperio, quod piæ ſententiæ aduerſetur, quiá licet non defuerint olim, & hodie etiam nonnulli aſſerant, Carnem B. Virginis, imò D. Tho. 3. p. q. 27. a. 2.

ſemen parentum eius in Conceptione ſeminali purificatum fuiſſe; communior tamen Sententia id negat, & ſanctificationem B. Virginis in ipſo inſtanti animationis in ſenſu compoſito affirmat. Benè proinde reſpondet D. Thomas negatiuè, & authoritates de ſanctificatione Ieremiæ, ac Ioannis Baptiſtæ explicat, quomodo intelligi debeant.

S. Anſel. lib. de Concept. Virg. c. 18.

II. Secundum argumentum eſt deſumptum ab authoritate S. Anſelmi: *Conveniens fuit, ut illa Virgo eâ puritate niteret, quâ maior ſub DEO nequit intelligi. &c. ſed maior puritas fuiſſet B. Virginis, ſi nunquam anima eius fuiſſet inquinata contagio originalis peccati, ergò hoc ei praſtitum fuit, ut antequam animaretur caro eius, ſanctificaretur.* Difficilior hic locus eſt, eluctabimur tamen ex difficultate, ſi aduerterimus, quid intendat probare. Intendit in hoc argumento S. Doctor, ſicut & in cœteris probare, B. Virginem ante animationem non fuiſſe ſanctificatam; loquitur ergò de carne ſolùm B. Virginis non de perſona. Quod autem hic faciat mentionem animæ, dicatq: *Si nunquam anima eius fuiſſet inquinata contagio originalis peccati,* uidetur ſupponere, quòd aliquando fuerit inquinata originali peccato. Sed uideamus quid reſpondeat S. Doctor. *Dicendum, quòd ſi nunquam anima B. Virginis fuiſſet contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Chriſti, ſecundùm quam eſt univerſalis omnium Salvator.* Requirit ergò S. Doctor, aliquid in anima Virginis, propter quod Chriſtus reſpectu illius dici poſſit Saluator. quid porrò illud? *contagium originalis peccati.* Ecce quàm cautè loquitur S. Doctor ne lædat ſpeciale priuilegium Virginis, non dicit originale peccatum, ſed contagium originalis peccati; ut denotet quid requirat in Virgine, nimirùm quòd ſaltem habuerit debitum illud quod eſt infectio carnis; ut anima eius uniretur carni infectæ licet in ipſa unione ſancta, & maculæ expers: ut habuerit anima ſaltem poſſe peccare, poſſe originali peccato maculari, licet non actu macularetur: hoc quippe ſonat illa uox *contagium* deducta à uerbo contingo. Vnde ſenſus prædictorum uerborum eſt, ſi nunquam, uel nullo modo anima B. Virginis contigiſſet, uel coniuncta fuiſſet carni infectæ, & habenti reſpectum ſeu debitum peccati originalis, non potuiſſet redimi à Chriſto; quià ut Chriſtus ſit Redemptor alicuius animæ, debet ſaltem illa habere debitum peccati, ſeu neceſſitatem eius contrahendi, ex ui legis uniuerſalis, quod uerum eſt. Non diſputo autem hic utrùm rectè inferat S. Thomas debuiſſe ſaltem carnem eſſe infectam, quando animæ uniebatur, ut poſſet dici Chriſtus Redemptor Virginis, quod ad aliam

D. Tho. cit.

quæ-

quæſtionem ſpectat;ſed ſolùm dico,quòd D.Thomas oppugnando ſententiam,aſſerentiũ carnem Virginis ante animationem ſanctificatã, id neget ex eo, quià niſi caro infecta fuiſſet, & conſequenter debitũ in animã refudiſſet,non fuiſſet B. Virgo redempta per Chriſtum. Quod uerò hæc fuerit mens D. Thomæ in prædicto loco, euincitur etiam ex ſubſequenti textu; nam addit: *Et ideò ſub Chriſto qui ſalvari non indiguit, tanquam univerſalis Salvator, maxima fuit B. Virginis puritas.* Huius comparationis energiam non ſemel ſuprà expendimus. Sed & ipſe S. Doctor magis ſe explicat ſubiungens: *Nam Chriſtus nullo modo contraxit originale peccatum, ſed in ipſa ſui Conceptione fuit ſanctus, ſecundùm illud Lucæ 1. Quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius DEI: ſed Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum, ſed ab eo fuit mundata, antequam ex utero naſceretur.* Loquitur de Conceptione materiali, quæ in Chriſto ſimul fuit cum Conceptione formali; quià ut docet S. Thomas ex Damaſceno, fuit *Simul caro, ſimul DEI Verbi caro, ſimul caro animata anima rationali, & intellectuali.* In Chriſto igitur ipſa carnis, uel corporis formatio fuit expers infectionis; at in Virgine caro fuit infecta in ſenſu ſupradicto. Ac proinde licet primâ fronte in hoc textu uideatur S. Thomas contrarius eſſe piæ ſententiæ, nihilominùs, ſi combinentur priora cum poſterioribus, nihil hic aliud aſſerit, quàm quòd ante animationem Caro Virginis non fuerit ſancta. 2. Quod anima Virginis non fuerit tam libera ab originali, quàm Chriſtus, quià hoc derogaret dignitati Chriſti. 3. Quòd B. Virgo ſaluari à Chriſto indiguerit, tanquam uniuerſali Saluatori: quæ omnia conformia ſunt piæ ſententiæ. Non enim negat pia Sententia B. Virginem eguiſſe ſaluari à Chriſto; non aſſerit etiam illam æquè liberam fuiſſe ab originali ac fuit liber Chriſtus; non aſſerit ſanctificatam ante animationem. Id uerò quod ſequitur: *Chriſtus nullo modo contraxit originale peccatum &c. ſed B. Virgo contraxit quidem originale peccatum, ſed ab eo fuit mundata antequam ex utero naſceretur:* non aliter intelligi debet, quàm in fauorem piæ ſententiæ tum 1. quià ſi deberet intelligi quòd B. Virgo actu contraxerit originale peccatum, S. Thomas non loqueretur conſequenter, ſed ſibi contradiceret. Nam immediatè ante dixit: *Sub Chriſto, qui ſalvari non indiguit, maxima fuit B. Virginis puritas*, quod æquiualet huic propoſitioni: *B. Virgo intantum fuit minùs pura quàm Chriſtus, quià indiguit ab impuritate ſalvari per Chriſtum, Chriſtus autem ſalvari non indiguit tanquam univerſalis Salvator.* Indigere uerò ſaluari ab impuritate,uel peccato; nõ eſt ſolùm liberari à peccato,quod quis

D. Tho. cit.

S. Tho. 3. p. q. 33. a. 2.

Damaſc. l. 3. c. 2.

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 2. ad 2.

D. Tho. ib. ad 2.

habet;

adducit S. Thomas ex celebratione feſti Conceptionis. *Quidam celebrant feſtum Conceptionis B. Virginis: ergò videtur quòd in ipſa ſua Conceptione fuerit ſancta, & ità quòd ante animationem fuerit ſanctificata.* Hoc argumentum planè eſt pro pia Sententia,& multo magis reſponſio D. Thomæ, quià inquit: Talis *celebritas non eſt totaliter reprobanda*, licet Romana Eccleſia non celebret, ſed ſolùm toleret conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum. Quid diceret hodie ſi videret etiam à Romana Eccleſia celebrari feſtumConceptionis? Notandum hic eſt, quòd D. Thomas loquatur de Conceptione materiali ſive ſeminali, non de formali; tùm quia nuſquam reperitur hanc vocem *Conceptio* uſurpaſſe pro Conceptione formali,vel animatione; ſed ubi de hac agit, vocat infuſionem animæ, animationem, inſtans infuſionis animæ, &c. tùm quià non benè adderet illa verba: *& ità quòd ante animationem fuerit ſanctificata*, ſi enim per nomen Conceptionis intelligeret animationem, non ſequeretur quòd ſi Conceptio fuit ſancta,B. Virgo ante animationem fuerit ſanctificata, ſed ſolùm quòd in Conceptione ipſa fuerit ſanctificata. Hoc ſuppoſito, nihil mirum, quòd dicat S. Doctor: *Nec tamen per hoc, quòd feſtum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quòd in ſua Conceptione fuerit ſancta: ſed quià quo tempore ſanctificata fuerit ignoratur, celebratur feſtum Sanctificationis eius potiùs, quàm Conceptionis in die Conceptionis ipſius.* quæ veriſſima ſunt, & conformia piæ ſententiæ, factâ illâ ſuppoſitione quòd per nomen *Conceptionis* intelligat *ſeminalem Conceptionem.* Nam paſſim docent Theologi, quòd non celebretur ab Eccleſia Conceptio ſeminalis, ſed Conceptio formalis ſive animatio, quæ eſt propriè Conceptio B. Virginis (quià ante animationem eſt ſolùm fœtus, & corpus, non autem creatura rationalis vel ipſa B. Virgo) licet aliqui antiqui etiam Conceptionem ſeminalem celebrari docuerint. Celebratur igitur ſecundùm D. Thomam in feſto ſeu die Conceptionis B.Virginis non ipſa Conceptio ſeminalis, ſed Sanctificatio B. Virginis; id eſt illud inſtans, quo B. Virgo ſimul animata ſimul ſanctificata eſt; ſive illud inſtans, quo corpori organizato infuſa eſt anima B. Virginis ſancta, & immaculata. Cauſalis illa: *quià quo tempore ſanctificata fuerit ignoratur, celebratur feſtum Sanctificationis eius potiùs quàm Conceptionis.* Non deſtruit ſenſum modò relatum, quin potius confirmat. Nam ità accipi debet, quòd ignoretur, quo tempore ſit animatum Corpus B. Virginis, & hoc verum eſt etiam in pia Sententia; & conſequenter ex hoc ignoratur, quo tempore B. Virgo ſanctificata ſit; cùm enim inter Phyſicos & Medicos contro-

Digitized by Google

troverſia ſit, quando in materno utero fœtus animetur, meritò dubitatur de tempore determinato animationis; & meritò etiam S. Thomas dicit: *quo tempore ſanctificata fuerit ignoratur*, ſiquidem ſupponit eodem tempore animatam & ſanctificatam. An verò B. Virgo eodem die 8. Decemb. quo materialiter concepta eſt, etiam formaliter concepta, ſeu animata ſit ſucceſſivè; prout aliqui Recentiores piè docent, non eſt huius loci; quià S. Thomas de hac opinione nihil inſinuat. Videatur Procem. lib. Primi huius Operis ubi eam diſcutimus.

III. Reſtat quartum argumentum ſententiæ aſſerentis B. Virginem ſanctificatam ante animationem in ipſa Conceptione ſeminali, cui S. Thomas contradicit reſponſione oppoſitâ; ſed quam adverſarij in ſuum ſenſum, immeritò quidem, ſed tamen trahunt. Argumentum eſt: *Si radix ſancta, & rami, radix autem filiorum ſunt parentes eorum: potuit ergo B. Virgo ſanctificari in ſuis parentibus ante animationem.* hic illud ante animationem extendit ad anterioritatem etiam Conceptionis ſeminalis, & vult arguere Beatæ Virginis Conceptionem ſeminalem ſanctam fuiſſe, quià antea parentes eius ſancti fuerunt. Reſpondet autem argumento ipſemet, diſtinguendo duplicem ſanctificationem; unam naturæ, alteram perſonæ: & docet ſanctificationem naturæ, quæ eſt liberatio ab omni culpa, & pœna; futuram in reſurrectione; ſanctificationem verò perſonalem non tranſire in prolem, ac conſequenter licet parentes B. Virginis fuerint vel fuiſſent ſanctificati ſanctificatione perſonali antequam conciperetur ab ijs B. Virgo ſeminaliter, non ideò tamen B. Virginem ſanctam, & ſine peccato originali concipi oportuiſſe. Hic eſt verus, & genuinus S. Thomæ ſenſus, illis verbis expreſſus: *Et ideò ſi parentes B. Virginis fuerunt mundati à peccato originali, nihilominùs B. Virgo peccatum originale contraxit, cùm fuerit concepta ſecundùm carnis concupiſcentiam &c.* quæ non debent intelligi in modo Indicativi, ſed in modo Potentiali, quià non adſtruit abſolutè S. Thomas quòd parentes B. Virginis fuerint ſancti, & mundati à peccato originali in ordine ad tribuendam ſanctitatem proli concipiendæ; neq; etiam adſtruit abſolutè, quòd B. Virgo contraxerit peccatum originale, ſed utrumq; eſt conditionatum, & habet hunc ſenſum: Etiamſi parentes B. Virginis fuerint, vel fuiſſent mundati à peccato originali antequam B. Virginem conciperent, ex eo tamen non ſequitur, quòd B. Virgo in Conceptione ſua paſſiva libera fuerit ab originali peccato, quià ſanctificatio perſonalis non tranſit in prolem carnaliter genitam. Quis

D. Tho. cit. ad 4.

hic

hic non manifeſtè advertit, in quo ſenſu D. Thomas dixerit *Beata Virgo peccatum originale contraxit.* Non eſt ergo aſſertio hæc abſoluta, ſed reſpectiva, & conditionata includens hanc hypotheſim: ſi non eſt aliter ſanctificata, quàm in parentibus, quatenus illi fuerunt mundati ab originali; ipſa non fuit immunis ab originali peccato. Et hoc ſine dubio verum eſt, quia nemo eſt ſanctus ſanctitate alienâ, ſed quiſq; ſuâ. Igitur conditionatè & reſpectivè hoc aſſerendo D. Thomas, non negavit B. Virginem immunem fuiſſe ab originali in ipſa animatione ſua, ſeu Conceptione formali paſſiva. Præterea cùm ibi addat: *Cùm fuerit concepta ſecundum carnis concupiſcentiam ex commiſtione maris & fœminæ: dicit enim Auguſtinus in libro de Nuptijs & Concupiſcentia, omnem quæ de concubitu naſcitur carnem eſſe peccati.* Satis inſinuat ſe loqui vel primò de lege ordinaria, & quantum eſt ex vi naturæ ac generationis humanæ, à qua tamen Privilegium non excludit, ut ſæpius dictum; quaſi diceret; Sanctificatio quâ ſanctificati fuiſſent, vel fuerunt parentes, non potuit tranſire in prolem, ac ſanctificare ſeu immunem ab originali reddere B. Virginem; quia nihilominùs ipſa concepta fuit ſeminaliter ſecundum carnis concupiſcentiam, quæ ex vi legis ordinariæ & univerſalis poſt ſe trahit maculam originalis peccati: quod totum veriſſimum eſt. Interim cum hoc ſtare poteſt, quòd B. Virgo non in parentibus ſed in ſeipſa fuerit ſanctificata; non ante animationem, ſed in animatione, vel poſt animationem poſterioritate ſolùm naturæ; non ſecundùm legem ordinariam, ſed per Privilegium: alterum hoc loco aſſeruit S. Doctor expreſsè quia quæſtio erat de ſanctificatione ante animationem; tacuit, quia non quærebatur de ſanctificatione in animatione. quod tamen alibi, ut vidimus apertè docuit. Vel ſecundò loquitur de contractione debiti remoti, & infectione carnis prout ſuperiore §. explicui: propterea dicit ex S. Auguſtino de concubitu naſci carnem peccati. Hinc valdè miror Caietanum, quod ex hoc unico loco, veluti fortiſſimo propugnaculo oſtendere voluerit in ſpecie non in genere à D. Thoma doctam & defenſam Conceptionem maculatam B. Virginis; cùm ut oſtendimus potiùs pro Immaculata Conceptione non unum ſuppeditet argumentum.

D. Tho. ib.

Sed ad alia

§. XXXV.

Explicãtur alia loca ex D. Thoma, in quibus videtur piæ Sententiæ contrarius eſſe.

Bandell. apud Martanell.

I. VIncentius Bandellus glorioſè : *Doctrina D. Thomæ ab Vrbano approbata fuit, in qua pluſquam in viginti locis contrarium traditur, ſcilicet conceptam in peccato eſſe.* Nondum legi locum, qui magis faveret Bandelli Sententiæ ſaltem apparenter, quàm eum de quo ſuperioribus duobus §§. immediatè egimus: & quià in illo non traditur conceptam in peccato eſſe B. Virginem, prout oſtenſum eſt, multò minus id tradetur in alijs ſimilibus locis; unde ſuperfluus videri poſſet hic labor, niſi propter juniores aliqui loquendi modi nonnihil meliùs explicandi eſſent. Conquiram igitur tot loca, quot potero, quæ pro contraria opinione facere putantur, ut collatione factâ horum cum alijs pro pia Sententia relatis, clarius conſtet de mente D. Thomæ. Primus locus eſt, in 2. Sententiarum Primi Scripti. ubi quærit S. Doctor,

D. Tho. in 2. diſt. 31. q. 1. a. 2.

Vtrùm ſit neceſſe omnes homines naſci in peccato originali. Et reſpõdet: *Dicendum, quòd neceſſarium eſt omnes, qui ex Adam generantur per viam coitûs, peccatum originale trahere.* Rationem aſſignat: *Ad eſſe enim originalis duo concurrunt, ſcilicet defectus quidam principia naturæ humanæ conſequens: & iterum quod fuerit in poteſtate naturæ, ut iſto defectu careret, vel non, ſine quo ratio culpæ in hoc defectu non eſſet* quaſi diceret: Natura humana in capite ſuo & primo parente corrupta, in omnibus individuis naturaliter deſcendentibus ab illo capite defectuoſa eſt, & peccatum trahit, quod habet rationem culpæ, quià voluntarium toti naturæ in ſuo capite fuit.

D. Tho. ib.

Vnde ad finem ſubdit: *Ratio voluntarij in omnes, qui ab eo naturam humanam accipiunt ſimul cum defectu tranſit, & quià genitum naturam recipit à generante, & patiens ab agente, ideò omnes, qui ſecundum ſeminalem rationem, quæ eſt virtus activa, ab Adam deſcendunt, oportet quod in culpa originali naſcantur.* Locus iſte nihil aliud continet, quàm principia generalia & legem univerſaliter latam, quæ tamen legiſlatori non aufert poteſtatem per ſpeciale Privilegium eximendi aliquod individuum. Et quià nec verbulum additur de B. Virgine, non facit etiam contrà immunitatem eius ab originali privilegiatam; quin potius multa ſunt in eo articulo, quæ ſuadent D. Thomam

mam etiam hic piæ ſententiæ adfaviſſe, uti ſupra oſtendi §. 9. & alibi ſæpius, ut proinde hic morari non debeam.

II. Alter locus occurrit in 3. d. 3. ubi ait S. Thomas: *Dicendum, quòd Sanctificatio B. Virginis non potuit eſſe decenter ante infuſionem animæ, quià gratiæ capax nondum erat; ſed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis, ut ſcilicet per gratiam tunc ſibi infuſam conſervaretur, ne culpam originalem incurreret.* Similia habet ad Annibaldum Card. quæ ſuperius §. 15. n. 3. expendimus. Fateor quòd locus iſte ſi non eſt ſuppoſititius, meritò lectorem perplexum poſſit reddere; quià vix clariùs videtur poſſe pro oppoſita opinione loqui Doctor Angelicus. Nihilominùs ſi ad cauſalem oculos convertamus, ſtatim illuceſcet verus D. Thomæ ſenſus, quem his verbis exprimere voluit; addit enim: *quià ſic non contraxiſſet originale, ſicut nec Chriſtus.* Cùm dicat *ſicut nec Chriſtus*, vult dicere quòd nec habuiſſet actu peccatum originale, nec debitum, quià Chriſtus neutrum habuit, ergò præcedentia verba ſic intelligenda ſunt, quod non potuerit ſanctificari in ipſo inſtanti infuſionis tali ſanctificatione, quæ tolleret ab illa, & peccatum originale & debitum; hoc ſonant verba illa: *Vt ſcilicet per gratiam tunc ſibi infuſam conſervaretur ne culpam originalem incurreret.* Quod etiam patet ex alijs annexis verbis *Chriſtus enim hoc ſingulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat.* quaſi diceret Chriſtus hoc habuit ſingulare, quòd nec indiguerit redimi à peccato; quià nec peccatum habuit, nec debitum peccati. B. Virgo autem debitum habuit, non tamen ipſum peccatum; & ratione debiti, quià conſervata eſt ne actu peccatum incurreret, ſufficienter dicitur redempta. Non potuit autem taliter ſanctificari, ut etiam à debito libera eſſet ſicut Chriſtus quià ſic non eguiſſet redimi, & derogaret dignitati Chriſti, qui ſolus non indiget redemptione. Cauſalis hæc eſt ad mentem D. Thomæ, & Sententia quòd B. Virgo debitum habuerit; an verò reipſa tale debitum B. Virgini attribuendum ſit, & quomodo redempta, hic non vacat examinare, ubi ſolùm de Divi Thomæ ſententijs agimus.

D. Tho. in 3. diſt. 3. q. 1. a. 1.

Ad Annibald. in 3. diſt. 3. q. un.

III. Tertius locus ibidem habetur: *Beata Virgo in peccato originali fuit concepta.* Hic locus plerumq; ſolitariè citari ſolitus, multos fefellit etiam doctiſſimos viros, qui non recurrendo ad fontes, non combinando unum locum cum alio, circa mentem D. Thomæ dubij hæſerunt, cùm in primo Sententiarum legerent: *quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.* hic verò, *in peccato originali fuit concepta.* Verùm ſi contextus inſpiciatur, manifeſtum erit, quòd

S. Tho. 3. d. 3. q. 1. a. 1. ad 1.

hic D. Thomas ſolùm loquatur de Conceptione ſeminali B. Virginis, in qua fuit peccatum originale cauſaliter; id eſt caro illa, & ſubſtantia corporea; quæ in Conceptione ſeminali formari cœpit, habuit exigentiam quandam ex natura ſua, ut animam ſibi infuſam in ipſa infuſione inficeret. Nam ideò ibi præmiſit Doctor Angelicus: *In ſtatu viæ parentes eius curati non fuerunt, ut prolem ſuam ſine originali peccato concipere poſſent, & ideò B. Virgo &c.* parentes non concipiunt animam vel perſonam, quæ eſt ſubiectum gratiæ & peccati, ſed ſolùm ſemen & carnem. Subdit S. Doctor: *Propter quod B. Bernardus ad Lugdun. ſcribit Conceptionem illius celebrandam non eſſe.* Quæſtio erat: Vtrùm *B. Virgo ſanctificata fuerit antequam Conceptio carnis eius finiretur*: ad quam rectè reſpondit S. Doctor, *quod nullo modo in parentibus ſanctificari potuit*, quia Sanctificatio eſt perfectio perſonalis, quæ non tranſit in prolem, niſi curetur ipſa natura: quià verò in parentibus natura curata non fuit, Conceptio illa, quâ ſeminaliter in utero S. Annæ B. Virgo concepta eſt non caruit infectione illâ, quæ eſt quædam neceſſitas vel cauſa originalis peccati. Aptè etiam S. Doctor addidit authoritatem D. Bernardi, quià etiam D. Bernardus, ut ſuprà dixi, aliud non reprehendit in Canonicis Lugdunenſibus, quàm celebrationem Conceptionis ſeminalis, quæ ſancta eſſe non potuit defectu capacitatis ſubiecti. Hunc eſſe genuinum D. Thomæ ſenſum hoc loco clariùs adhuc colligitur, ex ijs quæ ſubdit: *Ad 3. dicendum, quòd concubitus, quo B. Virgo concepta fuit meritorius creditur, non per gratiam omninò purgantem naturam, ſed per gratiam perficientem perſonas parentum: & ideò non oportuit, quòd in prole concepta, ſtatim Sanctitas eſſet.* Ecce in ſeminali Conceptione negat fuiſſe ſanctitatem, non in formali, de qua hic non agit: unde intelligitur illa D. Thomæ Sententia *B. Virgo in peccato originali concepta*, eo modo, quo ſuprà diſcurrimus de alio ſimili loco. Poſſet etiam hæc ſententia intelligi reſpectu parentum, quod parentes, qui conceperunt B. Virginem habuerint peccatum originale non pro tunc quando concipiebant, ſed quando ipſi concepti & nati fuerunt. Sic quidam apud Nierembergium exponunt illud Innocentij III. cum Evam DEIparæ contraponens ait: *Illa fuit ſine culpa producta, ſed produxit in culpam: hæc autem fuit in culpa producta, ſed ſine culpa produxit.* Non dicit, fuit cum culpa producta, ſed in culpa, ut oſtenderet ſubiectum huius culpæ, non eſſe ipſam Virginem, ſed parentes. Verùm prior loci explicatio videtur conformior doctrinæ D. Thomæ. Alias ſimiles prætereo, quæ ſup. adductæ ſunt §. 32.

D. Tho. ib.

Nieremb. Except. cap. 17. Innoc. III. ſer. 2. de Aſſumpt.

IV.

IV. Quartus locus eſt ib. ubi dicit : *Dicendum eſt, quòd Caro Chriſti, ſecundùm quod fuit in Patribus, & etiam in ipſa B. Virgine, peccato infecta fuit, ſed in ipſa aſſumptione ab omni infectione peccati purgata eſt.* Nihil etiam hic contrà Innocentiam originalem DEIparæ pronuntiatur, ſed potiùs pro illa novum ſuggeritur argumentum. Nam Caro Chriſti, de qua hic loquitur D. Thomas, non fuit in B. Virgine illa numero caro, quam habuit B. V. in primo animationis inſtanti (juxtà probabilem ſententiam) ſed alia quæ ſucceſſu temporis accrevit, priori ſenſim deperditâ. Et licet eadem numero fuiſſet, quià tamen conſentientibus ipſiſmet Thomiſtis, illa caro in utero ſaltem poſt animationem mundata fuit, non potuit dici in Filij DEI Incarnatione vel ante Incarnationem, & ante Spiritus ſancti obumbrationem caro infecta; quod ergò dixerit S. Thomas Carnem Chriſti in B. Virgine fuiſſe infectam, vel debet intelligi, quòd adhuc in utero S. Annæ infecta fuerit ante animationem, & hoc nihil facit contra piam ſententiam: vel debet intelligi, quòd infecta fuerit id eſt habuerit debitum ſeu reſpectum, & ordinem ex natura ſua ad peccatum, qui reſpectus ex quorundam Sententia, manſit in Virgine toto vitæ decurſu, & hæc infectio etiam nihil cõcludit contrà piam ſententiam, quià multi [illegible]raliter concedunt in Virgine debitum peccati, negant tamen actualem peccati maculam. Sed ulterius hoc loco, cùm dicat S. Thomas de Carne Chriſti, quod *in ipſa aſſumptione ab omni infectione peccati purgata eſt.* duplex argumentum ſuggerit pro immunitate omnimoda Virginis ab originali. unum; quià ſicut potuit ſanctificari vel purgari Chriſti Caro in ipſa aſſumptione, ità potuit anima B. Virginis in ipſa infuſione, vel unitione cum corpore ſanctificari. Alterum: ſicut Caro Chriſti purgata dicitur ab infectione, licet nunquam infecta fuerit, ità intelligi poterit, quòd B. Virgo nunquam habuerit originale, licet dicatur purgata, mundata &c. ab originali. D. Tho. in 3. d. 3. q. 2. 4. 1.

V. Quintus locus eſt in Quodlibet. de malo. q. 4. ubi ait: *Dicendum, quòd erroneum eſt dicere, quòd aliqui ſeminaliter ab Adam deriventur abſq; originali peccato: ſic enim aliqui homines eſſent, qui non indigerent redemptione factâ per Chriſtum. Vnde ſimpliciter concedendum eſt, quòd omnes qui ſeminaliter ab Adam propagantur, peccatum originale contrahunt mox in ipſa ſua animatione.* Hic locus etiam cùm agat ſolùm de lege ordinaria, relinquendo locum Privilegio, & nullam faciat mentionem B. Virginis, nihil facit contrà Immaculatam Conceptionem. Videndum quid ſuprà de hoc dixerim §. 11. D. Tho. To. 8 Op. Quodlib. q. 4. a. 6.

D. Tho. 1. 2. q. 81. a. 3. §. 11. n. 3. & 4. Idem etiam ſentiendum de altero loco, in quo idem repetit D. Thomas in ſumma: *Dicendum quòd ſecundum fidem Catholicam firmiter eſt tenendum, quòd omnes homines præter ſolum Chriſtum ex Adam deriuati, peccatum originale ex Adam contrahunt: alioquin non omnes indigerent redemptione quæ eſt per Chriſtum, quod eſt erroneum.* Si cenſura hæc accipi deberet rigoroſè, ità ut omnes reipsâ dicerentur peccato originali infecti nullo excepto, ne quidem B. Virgine, foret contra Concil. Tridentinum & Pontiff. Conſtt.

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 1. 2. 3. VI. Adducunt aliqui præter ſupradicta etiam quaſdam voces quas non ſemel ad mentem S. Thomæ explicui, & putant ex eo, quià dicitur B. Virgo *Sanctificata, mundata, purgata, &c.* quæ intelligenda ſunt præſervativè, non ſublevativè, ſicut etiam paulò ante vidimus, quòd dicat D. Thomas *Carnem Chriſti purgatam*, quod intelligi non poteſt ſublevativè, quià alias admitteretur aliquando reapſe infectam fuiſſe peccato. Imò ex his ipſis vocibus peti poſſunt argumenta pro Immaculata Conceptione. Nam ſicuti has voces alibi adhibet S. Doctor intelligendo ſanctificationem &c. præſervativam, ità hic cenſendus eſt in eodem ſenſu adhibere. Fa-

Caiet. Opuſc. de Concept. cap. 3. v[illegible]ic ſenſui Caietanus ſupracitatus, dum ait: *Dicitur à peccato mundatus, non ſolùm, qui à contracta actuali macula mundatus eſt: ſed qui à macula quidem in debito, & initio in propria perſona fundato &c. mundatus eſt.* Plura ſimilia paſſim per decurſum huius Capitis dicta ſunt, & ex profeſſo in Procemio libri Primi. Videri etiam poſſunt de hoc Salazar, Nierembergius, Serranus, & alij.

D. Tho. in Pſal. 13. VII. Adducitur & ille locus ex Comment. in Pſal. 13. ad illa verba: *Non eſt, qui faciat bonum.* ubi ait: *quià non eſt iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Eccleſ. 7. uſq; ad unum, id eſt Chriſtum; quià ipſe ſolus nec peccatum contractum habuit, nec commiſſum. Beata Virgo habuit contractum peccatum. Eccleſ. 7. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Locus iſte, primò videtur corruptus, ſicuti plures alij; & illa verba: *Beata Virgo habuit contractum peccatum*, videntur eſſe aſſuta, & intruſa, quià non eſt ad propoſitum hic facere mentionem de B. Virgine. Loquitur enim D. Thomas ſolùm de impijs inter quos, vel cum quibus nec Chriſtus nec B. Virgo numerari debebant. Propterea adiecit ibi D. Thomas: *Vel uſq; ad unum, quià nec unus eſt, qui perfectè faciat bonum. Verum eſt ſuppoſito quod dixerunt: non eſt DEVS.* Illud igitur totum, quod tam de Chriſto, quàm B. Virgine inſeritur, eſt pugnus ad oculum. Secundò demus ea verba ab ipſo Doctore Angelico ſcri-

pta.

Digitized by Google

pta, & locum non eſſe depravatum, nihil tamen efficit Immaculatæ Conceptioni, quià ut ſæpius dictum, quando aſſerit Divus Thomas, quòd B. Virgo contraxerit peccatum; debet intelligi quoad debitum, non quoad actuale peccatum. Et hoc in iſto loco clarè oſtendunt illa verba *ipſe ſolus nec peccatum contractum habuit, nec commiſſum* id eſt nec habuit debitum peccandi, nec peccavit. *Beata Virgo habuit contractum peccatum*: id eſt habuit debitum originalis peccati, ſed non ipſum peccatum. Alioqui S. Thomas non loqueretur conſequenter, ſed contradiceret ſibi; cùm in Comment. ad Epiſtol. ad Gal. eundem textum citando *Virum de mille &c.* annectat: *Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo.* Videantur, quæ de hoc eodem loco attulimus ſuprà §. 26.

D. Tho. Ep. ad Gal. cap. 3. lect. 6.

VIII. In Pſal. 36. ad illa verba: *Novit Dominus dies immaculatorum*, ait S. Thomas: *Iob 15. dicitur: Quis eſt homo, ut immaculatus ſit &c. Reſp. Dicendum, quòd ex ſe nullus eſt immaculatus, ſi macula intelligatur peccatum mortale, ſed tamen per gratiam ſic; ſi verò macula intelligatur originale peccatum, ſic nullus eſt immaculatus.* Locus eſt univerſalis, & generica locutio, quæ non excludit exceptionem, & privilegium, uti de talibus pluribus non ſemel hactenus dictum. Vel certè debet dici depravatus, quià ſi ſecundùm omnem latitudinem ſumatur, includit etiam Chriſtum, quod erroneum eſt, & contrà ipſum S. Thomam, qui alibi non Chriſtum ſolummodò excepit, ſed & B. Virginem.

D. Tho. in Pſal. 36.

IX. In Commentarijs ad cap. 1. Matth. enumerans cauſas, *quare Chriſtus de Virgine naſci voluit?* inquit: *Prima fuit, quià peccatum originale contrahitur in prole ex commiſtione viri, & mulieris: unde ſi Chriſtus natus fuiſſet de concubitu conjugali, peccatum originale contraxiſſet.* Vbi videtur ſupponere, omnem omninò, qui de concubitu, & commiſtione viri cum muliere naſcitur, reipſâ maculari originali peccato. Sed modò attentius perpendatur locus, nihil obſtat piæ ſententiæ: tùm quià loquitur de lege ordinaria relinquendo locum Privilegio, ità ut etiamſi Chriſtus ex commiſtione viri ac mulieris conceptus fuiſſet, potuiſſet nihilominùs per Privilegium à communi lege exemptus eſſe, & immunis ab actuali infectione originalis peccati: quamvis aliunde Chriſtus liber fuerit, & in illo caſu fuiſſet à communi lege propter perſonalitatem Verbi qua ſubſiſtebat, in quam nulla talis lex cadere potuit: tùm quià loquitur de Conceptione ſeminali, & per *peccatum originale contrahere*, intelligit infectionem carnis, quam ſuprà diximus vocari poſſe debitum remotum, neceſſitatem, exigentiam, reſpectum &c.

D. Tho. in cap. 1. Matth.

Digitized by Google

ad originalem maculam, quæ non inficit niſi perſonam. Poſſet etiam hic locus, & ſimiles plures, ità intelligi, quòd loquatur S. Thomas de ſolo materiali peccati originalis, ſive de inordinatione illa virium, & rebellione partis inferioris ad ſuperiorem, quæ licet profluat ab originali peccato, tanquam effectus à ſua cauſa; non video tamen implicantiam cur DEVS non poſſet in aliquo individuo ponere talem uirium inordinationem, & rebellionem, & luctam ſpiritus cum carne, tametſi illud individuum ab originali peccato penitùs immune eſſet. Hoc caſu contraheret aliqua perſona materiale peccati originalis,& non contraheret formale,eſſet concepta ſine originali macula, ſentiret tamen deordinationem potentiarum &c. Quod in Sententia S. Thomæ facilè oſtenditur, cùm doceat in Beata Virgine manſiſſe fomitem, & concupiſcentiam probabiliter uſq; ad Incarnationem Filii DEI, & tamen Virginem mundatam ab originali peccato in utero Matris. Sed prior explicatio conformior eſt, placitis Divi Thomæ.

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 3.

X. In Opuſculo 2. cap. 224. ait: *Oportuit ſiquidem, quòd cum peccato originali conciperetur, utpote quæ ex utriuſq; ſexus commiſtione concepta fuit.* Et poſt pauca: *Si cum peccato originali concepta non fuiſſet, non indigeret per Chriſtum redimi.* Hunc locum cum annexis explicui ſuprà in favorem piæ Sententiæ §. 27. n. 3. Et aſſertio eſt ſolùm de debito, non de actuali peccato originali, cùm loquatur de Conceptione ſeminali, iuxtà alibi dicta.

D. Tho. Opuſc. 2. cap. 224.

XI. In ſecundo Scripto Sent. ad Annibald. repetit, quod in primo aſſeruerat, ſi non eſt Sententia ſuppoſititia, ut ſuprà adverti. *Nec in Conceptione ante animæ infuſionem ſanctificata fuit, quia proprium ſubiectum gratiæ ſanctificantis eſt anima; nec in ipſo inſtanti infuſionis animæ; quia ſic non contraxiſſet originale, ſicut nec Chriſtus; & ideò omnibus non conveniret redimi per Chriſtum.* Quo ſenſu iſta accipienda ſint, non ſemel dixi, & paulò ante num. 2. proinde hic ea repetere ſupervacaneum foret.

D. Th. ad Annibal. in 3. a. 3. q. un. art. 1.

XII. Alia loca ex Operibus D. Thomæ, quæ pro Sententia aſſerente B. Virginem reapſe actualiter infectam fuiſſe originali peccato, allegari poſſent, allegatis planè ſimilia ſunt; nec tot, quot Bandellus putavit. Pleraq; ſunt propoſitiones univerſales, & genericæ, quæ admittunt exceptionem etiam ipſo S. Doctore conteſtante. Quæ maximi roboris videntur eſſe ipſiſſimet Thomiſtis, ea fideliter attulimus, explicuimus, illuſtravimus; ut putemus piæ Sententiæ propugnatoribus nos ſatisfeciſſe. De aliis ſoliciti non ſumus, qui mordicùs ſuis adhærent imaginationibus. Quare ut

huius

Digitized by Google

huius Capitis concluſio antecedentibus rectè cohæreat, ex hactenus fusè dictis, probatis, allegatis, explicatis: Infero, verum eſſe, quòd D. Thomas piam Sententiam docuerit, quòd Immaculatam Conceptionem DEIparæ agnoverit, & non uno in loco aſſeruerit; quòd nuſquam oppoſitæ opinioni ſubſcripſerit. Vnde meritò Hiſpano illi (quiſcunq; fuerit) zeloſo licet Mariani honoris amatori, ſed minùs in Lectione D. Thomæ verſato ſuccenſere poſſum; quòd in labaro ſeu vexillo utrinq; pingi curaverit effigiem Sancti Thomæ: In una parte addendo Chriſtum cum hoc lemmate: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*; in altera verò parte addendo Beatam Virginem cum lemmate: *A qui nò* id eſt *hic non.* Nam benè ſcripſit Doctor Angelicus & de Chriſto, & de Matre; eâ ratione, quâ debuit; maximam attribuendo puritatem Matri ſub Chriſto, quod ſolum ſufficiens eſſet ad probandum id, quod hactenus 150. argumentis ex centum Diui Thomæ locis probauimus. Præiuerunt in hoc Scriptionis genere Andreas de Peruzzinis, cuius ſolum Compendium plurimis ſcatens Typographicis mendis ab Eugenio Martanello conſcriptum uidere licuit, Antonius Calderonius in Aſſertore Dominicano, quem in alio libro pro titulo Immaculatæ Conceptionis promiſit, Fr. Franciſcus de Arauſo Ordinis Prædicatorum, & alii; teſte Nierembergio & Henrico Engelgraue, quos tamen, quia in Hiſpania editi ſunt, nanciſci hactenus non potui; & plures erunt in illis ſummè Zelantibus Immaculatæ Conceptionis honorem regnis, qui ad nos non perferuntur ob locorum diſtantiam. Interim ego hanc qualemcunq; opellam impendere uolui Innocentiæ Marianæ cultoribus, ut uiderent non eſſe (uti uulgus putat) illam D. Thomæ Sententiam, quæ DEIparæ in ſua formali Conceptione maculam, & notam peccati inurit: non habere Patres Prædicatores fundamentum ſufficiens pro prædicta opinione citandi S. Thomam, cùm tam multis in locis piæ ſubſcribat. Et licet ea, quæ adduximus non ſint luce meridianâ clariora, ſed fortè quorundam iudicio dubia; nihilominùs quia in dubiis proniores eſſe debemus ad clementiam, quàm ad rigorem iuſtitiæ; reos potius abſoluere, quàm condemnare; & iuxtà regulam Iuriſperitorum, in gratiis pleniſſimam facere interpretationem, hoc labore noſtro nihil Diui Thomæ doctrinæ detractum, ſed potiùs conſultum putamus; & PP. etiam Prædicatoribus additum pium ſtimulum, quo excitati (ſi qui adhuc inter illos in ueterno oppoſitæ ſen-

Spond. in Annal. Engelgra. Panth. p. 2.

Nieremb. in Except. Engelgr. ſup.

l. Benefic. ff. de Conſt. Princ. ex de don. c. cum dilectis.

§. pen. in fin. & l. in teſtam. ff. de re iud. & l. furioſi. C. de nupt. & l. verbum legis ff. de verb. ſignif.

ſententiæ dormiunt) nobiſcum & cũ potiore fidelium parte tandem aliquando ſentiant, dicant, ſcribant, doceant, exclament *MARIA Mater DEI & Virgo eſt ſine macula originali Concepta*, & ut talis à Diuo Thoma Aquinate aſſerta.

Typographi properantis menda ſic emenda.

Pag. 13. *poſt med.* Patres *lege* patrum
pag. 20. *medio* aduerſarium *lege* aduerſariorum.
pag. 23. *poſt med.* innotauit *lege* innouauit
pag. 27. *lin.* 7. Et plures *lege* & poſt plures
pag. 33. *poſt med.* à ueris grauibus *lege* à uiris
pag. 37. *circa fin.* quæ producam, ut *lege* producam, producam ut
pag. 45. *lin.* 15. organizato *adde* ſi ſumatur formaliter
pag. 47. *circa fin* dicitur membrorum *lege* dicitur lex membrorum
pag. 48. *med.* materiali peccato *lege* materiali peccati
pag. 52. *med.* natura eſt ſanctificata *lege* non eſt ſanctificata
pag. 54. *lin. penult.* etiam ex *lege* etiam ſub
pag. 58. *lin.* 6. *à fine* error non fuit *dele* non
pag. 65. *med.* pronimirum *lege* nimirum pro
pag. 78. *lin.* 13. quia ſi ſic *dele* ſi
pag. 102. *med.* plus quoad extenſionem collatum *lege* plus quoad intenſionem collatum
pag. 118. *lin.* 15 nec quoad intenſionem *adde* nec quoad extenſionem
Ib. *lin.* 21. ſubſumptum *lege* ſubſumendum
pag. 125. *lin* 4. *à fine* præcedit tempore *lege* non præcedit tempore
pag. 140. *poſt med.* labe nota *lege* labe notata
pag. 144. *lin.* 12. *à fine* ſubſtantiale partum *lege* ſubſtantialem partum
pag. 146. *medio* quoq; nullâ *adde* maculâ
pag. 163. *lin.* 2. ex eodem *dele* eodem
pag. 164. *lin.* 1. de Frexo *lege* Trexo.

Alios eiuſmodi, & præſertim Grammaticales errores prudens Lector corriget.

5-3-3